

III. Confirmatur. Prima regula debet esse a se indefectibilis in dirigendo, & regulando; sicut primum principium est ex se indefectibile in operando; ergo sicut quia solus Deus est a se indefectibilis in operando, est primum principium operandi: ita quia solus ipse est indefectibilis in dirigendo, & regulando, solus ipse, seu ratio in mente ejus existens, erit prima ratio humanas actiones dirigens, & regulans.

IV. Unde D. Thomas 1. 2. qu. 91. art. 1. inquit: Nihil est aliud lex, quam dictamen practice rationis in Principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam. Manifestum est autem, supposito, quod Mandata divina providentia reguntur... quod tota communitas Universi gubernatur ratione divina: & ideo ratio gubernationis rerum in Deo, sicut in Principe Universitatis existens, legit habet rationem. Et quia divina ratio nihil recipit ex tempore, sed habet aratum conceptum, ut dicitur Proverbia, 8. inde est, quod habet hujusmodi legem dicere eternam. Et ibid. qu. 74. art. 2. ad 4. Dicendum (inquit) quod quicquid est contra rationem artificiatum, est etiam contra naturam artis, quia artificiatum producit, sed ars ad artificiatum comparat ad ordinem rationis humane, sicut ars ad artificiatum, unde ejusdem rationis est, quod virtutum, & peccatorum sit contra ordinem rationis humane, & quod sit contra legem eternam. Unde Augustinus dicit in 3. de libera arbitrio cap. 15. Quod a Deo habent omnes nature, quod nature sunt: & in tantum sunt virtutes, in quantum ab eis, qua facta sunt, arte discedunt. Hec D. Thom. que rationem superius allatam confirmat.

V. Quod vero dictamen rationis nostræ sit proxima regula morum, prob. Illa est proxima regula morum, que in virtute prima, & velut ejus participatio, dirigit actus morales; sive per quam æterna & prima regula homini manifestatur, & intimatur, ut adimplenda; sed tale est dictamen rationis practice: ergo &c. Min. prob. Deus, qui est primum dirigens in finem ultimum, dirigit omnes res conformiter ad ipsam naturam, communicando eis participationem ipsius æternæ regulæ, que fit eis proxima, & immediata regula operandi: sicut causis naturalibus communicat vim, & inclinationem, qua proxime ad fines suos naturales diriguntur: sed natura hominis est, ut agat per rationem, & per eam in finem ultimum finem se dirigat; ergo in eo ab æterna Dei ratione participat aliquid, quod proxime dirigatur in finem ultimum, & hoc esse dictamen rationis.

VI. Porro: quia homo moraliter agens præcipue vestatur circa singularia, non est sufficiens dictamen synderesis proponens ei in communi, quid sit faciendum, vel vitandum; sed requirit ulterius dictamen conscientie, seu prudentiæ regulans ipsum in applicatione principii communis ad particularia. De hoc acute dicitur D. Thomas in 2. 2. dist. 24. qu. 2. art. 4. ubi synderesim a conscientia distinguit. De quo infra sermo erit.

S. II.

Respondetur Objectioni.

VII. Primo obijci potest. Dictamen naturalis rationis regulare non potest, nisi ea, que sunt de Jure nature: sed dantur plures actus humani, & morales non spectantes ad legem nature, sed ad positivam humanam, vel divinam; ergo dictamen naturalis non est sufficiens regula moralitatis.

Respondetur, quod quando dicimus dictamen rationis esse proximam regulam moralitatis: non sumimus illud nude sumptum, & ut solo naturali lumine imbutum, sed ut informatum notitia legis etiam divine: seu, ut ait D. Thom. qu. 2. de malo art. 4. secundum quod actus concordat rationi informata lege divina, vel naturaliter, vel per doctrinam, vel per instructionem. Præterquamquod, esse dictamen naturalis rationis directe, & immediate non dicit, nisi que legem naturalem concernunt; cum tamen ratio, & lex naturalis dicit, parendum esse cultibus legitime præcipiendi; eo ipso, quod qualibet alia lex, sive divina, sive humana aliquid præcipiat, vel prohibeat, ipsa naturalis ratio in praxi dicat, illud esse faciendum, vel fugiendum.

VIII. Secundo obijci solet cum aliis Recentioribus, formalem moralitatis regulam esse naturam ipsam rationalem, ut antecedit omne iudicium rationis, & omnem legem. Sic Omne iudicium supponit aliquam mensuram, seu regulam, in qua ejus certitudo fundetur: sed dictamen rationis naturalis non habet, in quo fundet suam certitudinem, nisi in natura ipsa rationali; ergo &c.

Respondetur, neg. absolute min. Certitudo enim iudicii regulantis actus humanos in esse moris debet fundari in eo, quod fit determinatum principium, & regula operandi moraliter: natura autem ipsa rationalis, ut antecedit omne iudicium rationis, est potius prima radix operandi in genere physico, & in ea hoc modo radicatur dictamen rationis; non tamen est radix operandi in genere morali, nisi ei addatur connotatio aliqua, nempe subjectio ad aliquam superiorem regulam: & hanc dicimus esse ipsam æternam, & incretam Dei legem, a qua natura rationalis radicaliter, & ipsum iudicium rationis formaliter, tamquam a prima regula ordinis moralis, accipit rectitudinem; ut in ejus virtute possit regulare actus humanos, & ad ultimum finem dirigere.

IX. Neque dicas, plura esse, que ex sola habitudine, & convenientia ad naturam rationalem, antequam lege aliqua præcipiantur, vel prohibeantur; immo si nulla esset lex præcipiens, aut prohibens, adhuc essent bona, vel mala; & homo ea faciens esset agens morale bene, vel male operans; bene, dando elemosynam; male autem, furando, aut men-

tiendo: sicut, & ea omnia, que lege nature præcepta sunt, aut prohibita.

X. Nam Respondeo, ea, que moraliter bona, vel mala sunt natura sua, qualia sunt, que lege nature præcepta sunt, vel prohibita, esse moraliter bona, vel mala per ordinem ad legem æternam; que est prima totius bonitatis, & malitiæ moralis regula; & ejus lex ipsa naturalis, seu dictamen naturale rationis, est quædam intimatio, & participatio. Si vero, per impossibile, tolleretur omnis lex; homo diceretur agens moraliter bene, vel male per ordinem ad eandem legem æternam Dei tamquam primam totius moralitatis regulam. Unde D. Thomas hac 1. 2. qu. 19. art. 4. Quod autem (inquit) ratio humana sit regula voluntatis humane, ex qua ejus bonitas emittitur, habet ex lege æterna, que est ratio divina. Unde in Psalm. 4. dicitur: Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Quis dicitur: Lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, & nostram voluntatem regulare; in quantum est lumen vultus tui, quod est vultus tuus divinus. Unde manifestum est, quod multo magis dependet bonitas voluntatis humane a lege æterna; quam a ratione humane: & ubi deficit humane ratio, oportet ad rationem æternam recurrere.

D U B I U M III.

De Principiis Moralitatis Actus Speciem dantibus.

S. I.

Actus Moralitatis Speciem sumit ex Obiecto.

TRIA moralitatis principia enumerat D. Thomas hac qu. 18. art. 2. 3. Q. 4. nempe obiectum, circumstantias, & finem. De his agemus. Et primo quidem de obiecto: an scilicet actus humanus sumat moralitatem specificam ex obiecto, ad quod per se ordinatur.

I. Dico primo. Actus humanus primam & specificam bonitatem sumit ex obiecto, non quidem in esse rei, & physice considerato; sed in esse morali, & ut consonat, vel dissonat rationi. Prior pars traditur a D. Thom. hac qu. 18. art. 2. sic. Sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma, qua dat speciem ei: ita & prima bonitas actus moralis attenditur ex obiecto convenienti. Videlicet: Sicut enim in naturalibus primum bonum, quod res fortitur, est bonum speciei, quod habet ex sua forma; ut quando ex actu generationis procedit homo: & primum malum est, si res non consequitur formam speciei; puta, si ex actu generationis non procedat homo, sed aliquid loci hominis: ita in moralibus primum bonum actionis est, quod versetur circa obiectum convenienti; sicut actio, si quis utitur re sua bona ex genere, propterea que idcirco dicitur mala ex genere (id est ex specie, ut exponit S. Thomas ibi) ut quando quis rapit aliena.

II. Quapropter actio moralis ab obiecto sumit bonitatem tam genericam, quam specificam. Si enim obiectum consideretur, non in hac, vel in illa specie, sed generaliter, ut refertur rationi convenienti; actio moralis similiter considerata, ut respiciens ejusmodi obiectum, ab eo fortitur bonitatem genericam. Verum quia nullum est obiectum vera bonum, quin sit bonum in aliqua certa specie; ideo actionis bonitas, que ab obiecto sumitur, dicitur etiam esse specifica: & quia actioni non advenit ex aliquo accidente, sed ei convenit ex natura ipsius actionis secundum se, propterea vocatur bonitas prima, vel primaria.

III. Secunda vero pars certa videtur. Nam idem obiectum entitative, & materialiter sumptum potest dare speciem actui bono, & etiam malo: eadem namque pecunia potest esse obiectum furti, & restitutionis, libertatis, & avaritiæ: idem cibus obiectum gula, & temperantiæ; eadem semina obiectum actus conjugii, & adultærii: sicut in scientiis speculativis eadem conclusio, proit diversis subest luminibus principiorum, a diversis scientiis consideratur. Quemadmodum ergo unitas specifica scientiarum sumitur ab obiecto, non in esse rei considerato; sed quatenus sub eodem lumine, & eisdem principis procedit: ita prima, & specifica actus moralis sumitur ab obiecto, non in esse rei, sed foris, & ut scilicet consonat, vel non consonat recte rationi.

IV. Ut tollatur omnis æquivocatio: adverto, obiectum considerari cum fine operis, seu fine intrinsecæ operationis, ad differentiam finis extrinsecæ, seu operantis, quem scilicet sibi præfigit operans. Unde in eo, qui dat elemosynam pauperi, finis intrinsecus, seu operis, est subvenire indigentia; & hoc idem est, ac obiectum dans primam speciem illi actui. Si vero qui dat elemosynam, eam velit dare ad satisfaciendum pro peccatis; hic erit finis operantis extrinsecus, & accidentalis operi, nempe largitionis elemosynæ. Quare cum D. Thomas interdu dicit, actionem moralem speciem sumere a fine, & finem esse id, quod primo, & per se respicit, ut hac 2. 2. qu. 1. art. 3. & qu. 18. art. 6. loquitur de fine operis, quod coincidit cum obiecto, non de fine operantis.

V. Obijci tamen primo. Dantur actus morales, qui nullam ex obiecto, seu fine intrinsecæ operis hauriunt bonitatem, nisi ab operante ad ulteriorem finem ordinantur. Actus enim fortitudinis, ex proprio obiecto, quod est tolerantia passionum, aut mortis, nullam habet bonitatem; nisi

et accedat finis extrinsecus, ut docet D. Thom. 2. 2. qu. 134. art. 3. nempe fidelis, aut justitiæ. Et actus virginitatis non est actus virtutis, nisi referatur ad finem Religionis, & cultum Dei per votum. Quare virginitas Vestalium est abstinencia a venereis inclinetur veræ Religionis non ordinata, veræ virtutis bonitatem non habet. Unde S. Augustinus lib. 4. contra Julian. cap. 3. ait: Quisquid virtutis boni sit ab homine, & non propter hoc, sed propter quod fieri debet vera sapientia præcipit, eius officio videtur bonum, ipso non recte esse peccatum est.

VI. Respondeo in omnibus illis actibus primariam ex obiecto bonitatem derivari. Fortitudo enim ex tolerantis passionum, virginitas ex omnium venereorum contemptu commendatur; cum in obiecto illarum sit gravis vincenda difficultas, quam sola superat virtus. Requiritur tamen, per modum conditionis, etiam finis extrinsecus bonus: quia bonum, nisi fiat bene, nihil valet apud Deum, qui affectum magis pensat, quam sensum, nec quantum, sed ex quanto; nec verba (ait Gratianus) sed ad verba plus facit. Quo cum carerent fortitudo Paganorum, & virginitas Vestalium, quibus, vel inanis gloria, vel falsæ Religionis procellatio erat pro fine; ideo boni, sed non bene; aut virtuosè operabantur. Et hoc est, quod invidiosè memoratis locis S. Thom. qui 2. 2. qu. 123. art. 1. ostendit, fortitudinem ex sua specie esse virtutem, & facere bonum eam habentem; quod de Virginitate docet qu. 152. art. 3. dicens: quod conservare se immunitem ab omni experimento venereis delectationis, habet quandam excellentiam laudis: nec diffinit S. Augustinus laudato loco. Non enim negant, ex obiecto bono refundi bonitatem, & honestatem in actum: sed folam voluntatem, talem effluxum, oppositum fine malo penitus impeditur, puta inanis gloria. Unde Serm. 285. S. Augustini. & ipsa dicitur virtus, ut non militat typho, sed des. Et in hoc sensu lib. 4. contra Julian. citato cap. 3. Nevirginitas (inquit) non efficit, sed finitur, a virtutis discernendis esse virtutes. Officium autem, quod faciendum est; finis vero proprius quod faciendum est. Siquidem manus abstinere ab alieno, si officium cogit, potest videri esse justitiæ: sed cum quaritur: quare finis, & respicitur, ne plus pecunia libidinis perat; quomodo jam hoc factum verè poterit esse justitiæ, cum servat avaritiæ?

VII. Obijci secundo. Actus indifferens ex sua specie, & bonus, vel malus in individuo habet primam bonitatem, aut malitiam ex fine, vel alius circumstantiis: ex suo enim obiecto est indifferens; ergo non omnes actus humani primam, & specificam moralitatem habent ex obiecto. Confirmatur. Actus interior habet pro obiecto actum exteriorum: æquæ actus interior non accipit suam bonitatem, aut malitiam ab actu exteriori, sed potius exterior ab interiori, ut docet D. Thom. qu. 20. hujus 1. 2. art. 1. ergo &c.

VIII. Respondeo primo, admissis antecedente, nego suppositum consequens. Non enim loquimur de actu determinate ex sua specie bono, vel malo: & hunc dicimus speciem primariam bonitatis, aut malitiæ sumere ex obiecto; non autem de actu ex specie sua indifferente, qui nec bonus est, nec malus. IX. Respondeo secundo, negando itidem consequens. Nam enim indifferentiæ, quam habet actus ex specie indifferens, habet ex obiecto, quod indifferens est, neque conforme, neque disforme legi, nec præceptum, nec prohibuitum; sed a lege permittitum. Ut enim docet D. Thom. 1. 2. qu. 92. art. 2. Sicut res differens humanorum actuum. Nam... quidam actus sunt boni ex genere, qui sunt actus virtutis: & respectu horum leges habet prohibere. Quibus vero ex genere sui sunt actus indifferentes: & respectu horum leges habet permittere. Ideo igitur actus aliqui sunt prohibiti, sed a lege permittit. Quando vero in individuo determinatur ad speciem boni, vel mali ob finem, vel circumstantias adjunctas, etiam ab obiecto recipiunt hanc specificationem; quia finis, vel circumstantia transiunt in conditionem obiecti. Unde actus moralis semper sumit suam primam speciem ab obiecto.

X. Ad confirmationem dist. maj. Exteriorum, ut in intentione apprehensum, conc. maj. ut in executione positum, neg. maj. Itaque actus exterior considerari potest ut in intentione apprehensum; & hoc modo se habet ut obiectum actus interioris: & sic prius habet bonitatem, aut malitiam obiective, etiam non formaliter; quatenus ex ordine ad ipsam, ut ad obiectum, actus interior sumit speciem boni, vel mali secundum regulas rationis. Alio modo considerari potest, ut in executione; & hoc modo actus exterior non est obiectum, sed effectus; & participat bonitatem, vel malitiam ab actu interiori, quatenus ad eo imperatur, & ad finem ordinatur. Et in hoc sensu loquitur D. Thom. citato loco, cum ait, bonitatem, vel malitiam per se inveni in actu voluntatis, & ex eo derivari ad actum exteriorum.

XI. Obijci tertio. Actus ille. Pote habere, & studere vivere, in novitate vitam amulare: vel ad normam legis divine, & virtutis moris vitam temperare; non determinando, in quo obiecto, vel in qua materia; cum sit actus singularis determinatus in genere moris, & specie distinctus a reliquis actibus moralibus, & ab aliquo peccato, & bonitatem specificam moralem debet haurire: sed non ab obiecto; quia obiectum ejus non est determinatum, cum complectatur omnia obiecta, & materias omnium virtutum; ergo non omnis actus sumit specificam bonitatem ab obiecto.

Seri Theol. Tom. II.

XII. Omnis variis responsionibus, nego min. Obiectum enim præfati actus, esse materialiter, & ex parte rationis que complectitur omnium virtutum obiecta; formaliter tamen, & ut ad illud actum comparatur, omnia præsentat fusi unitate specifica ratione formali, sub qua, nempe boni honesti, sive in ordine naturali, sive in ordine supernaturali: ideoque, ut est obiectum illius actus est unum specie, & ei unitatem specificam tribuere potest. Sicut quavis obiectum Metaphysice sit omne ens: quia tamen sub una ratione formali specifica illi obijciatur, propterea unitatem specificam Metaphysice tribuere potest.

S. II.

Actus Moralitatis Speciem sumit a circumstantiis.

XIII. Alterum moralitatis principium a D. Thom. hic art. 3. statuitur circumstantia; propterea sic nuncupatur, quia non sunt ipsa substantia operationis, sed eam veluti circumstantia; tamquam accidentia quædam, sumpta metaprotea ex rebus physicis, in quibus ea circumferuntur dicuntur, que non pertinent ad ejus substantiam, sed sunt accidentia ejus.

Hujusmodi circumstantia assignari solent septem, sequenti carmine comprehensa a D. Thom. qu. 3. art. 3.

Quis, Quis, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

XIV. Quis, denotat circumstantiam personæ, seu ipsam personam; non quidem secundum se; quia sic pertinet ad substantiam actus humani, qui non potest esse, nisi ab aliqua persona humana fiat: sed denotat accidens, seu conditionem personæ, an secularis sit, an Religiosus &c.

Quis, indicat non ipsam actionis essentiam, sed ejus accidens. Nam (inquit D. Thom. laudato loco ad 3.) Quis aliquis perfundens aliquam aquam, abluat ipsum, non est circumstantia abluendi: sed quod abluenda refrigerat, vel calefacit, siccit, vel nocet, hoc est circumstantia. Aqua enim est essentialiter abluenda, si effundatur; sed accidens est, quod fit calida, vel frigida salubris, vel noxia.

Ubi est circumstantia loci: an videlicet furtum factum fuerit in loco sacro, vel profano. Quibus auxiliis, id est quibus instrumentis, vel ministris. Nam quod dicitur causa principalis indispensabile est actio: sed quod aliquibus instrumentis utatur, puta, si Dominus utatur servo ad committendam peccatum, puta homicidium, est accidentale.

Cur denotat finem, non quidem operis, hic enim ut jam diximus, coincidit cum obiecto, & sic est essentialis actibus humanis, non circumstantia; sed finem operantis. Non enim (inquit D. Thom. relatus ad 3. hinc, qui dat speciem actus, est circumstantia, sed aliqui finis adiunctus. Sicut quod fortis fortiter agat propter bonum fortitudinis, non est circumstantia: sed si fortiter agat propter liberationem Civitatis vel populi Christiani, vel aliquid hujusmodi. Unde si quis furetur, ut det elemosynam, elemosyna illa est circumstantia finis.

Quomodo exprimit modum actionis, qui (ut ait D. Thom. relatus ad 2.) pertinet ad qualitatem actus: puta quod aliquis ambulat velociter, vel tarde: & quod aliqui percussit fortiter, vel leniter.

Quando explicat qualitatem temporis, & quantitatem durationis. Unde reprobatum opus servile in die festo, & eo magis reprobatum, quo dicitur exerceatur. His præmissis

XV. Dico secundo. Actus humani, etiam interni, aliquam bonitatem, vel malitiam moralem sumunt ex circumstantiis. Ita Theologi cum S. Thom. hac qu. 18. art. 3. ubi hoc probat ex propositione ad res naturales. Sicut enim res naturales non habent totam plenitudinem, que debetur eis, inique ex sua forma substantiali, que dat eis speciem; sed multum superaddit ex supervenientibus accidentibus; sicut homini multum defert ad perfectionem quantitatis, figura, color &c. quorum si aliquid deest ad decentem habitudinem, consequitur malum, & defectus: Ita (inquit) est in actione. Nam plenitudo bonitatis ejus non res consistit in sua specie; sed aliquid additur ex his, que adveniunt tamquam accidentia quædam; & hujusmodi sunt circumstantia debita. Unde si aliquid deest, quod requiritur ad debitas circumstantias, erit actio mala.

XVI. Probatur ratione a priori. Ab eo sumere potest actus bonitatem, aut malitiam in esse morali, a quo sequi potest ordo convenientiæ, vel disconvenientiæ ad rationem; sed ex appositione, vel non appositione circumstantiæ sequi potest ordo &c. ergo ex circumstantiis &c. Min. Fortum ex sua specie est disconvenientis rationi: sed furtum in magna quantitate, in loco, & de loco sacro speciale disconvenientiam addit. Et contra: elargiri elemosynam convenientis est rationi; sed eam elargiri majori affectu, magis indigentem, loco, & tempore necessitatis, majorem convenientiam dicit ad rationem. Unde cum omnes divites mitterent munera sua in gazophylacium; vidua illa pauper, que sola æra minuta duo miserat (testimonio Christi Lucæ 21. ver. 3. & 4.) plusquam omnes misit: quia illi ex abundantia misereant, illi vero ex eo, quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit. Et humiliatio Christi ex circumstantia Personæ usque adeo crevit; ut ad valorem infinitum ascenderit. Ab oppo-

fio autem si defuit aliqua circumstantia debita, deest actui bonitas. Largitioni elemosynae deest bonitas, si fiat ex inani gloria; ut ait Christus Matth. 6. Quamvis oblatio sacrificii sit optima actio; sacrificium tamen, quod Cain obtulit Gen. 4. non fuit Deo acceptum, quia deerat illi circumstantia pii affectus in Deum; & proximum; ut nec sacrificium Saulis 1. Reg. 13. quia obtulit illud eo tempore, quo non debebat, adeoque deerat circumstantia temporis. Ozias quoque reprehenditur 2. Paralip. 26. quod velle sacrificium offerre non servata circumstantia personae offerentis. Et Israelitarum victimae Deo gratiae non erant, Isaia 1. quia non eo modo, quo oportebat, eas offerebant.

XVII. Ex his colligitur primo: quod, ut circumstantia bonitatem addant, vel malitiam actioni, tales esse debeant; ut aliquid addant actui, quo bene, vel male ordinetur ad finem. Quare quod quippiam dederit elemosynam hora nona, vel hora decima; quod commiserit homicidium feria secunda, vel tertia, nihil bonitatis, vel malitiae ex hoc praefere accedit illis actionibus; cum eiusmodi circumstantiae imperinenter se habeant in ordine ad finem, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 7. art. 2. ad 3.

XVIII. Colligitur secundo: quod, ut circumstantia bonitatem conferat, vel malitiam, oportet, quod sit debita, vel adesse, vel abesse. Quare ut actio moralis sit mala, oportet, quod circumstantia, ob cuius praesentiam defectum actio est mala, debeat adesse; & factus est deesse vel unam circumstantiam ex his, quae praecipue adesse debeant. Ut autem actio sit bona, requiritur, ut habeat omnes circumstantias ex praecipue debitas; quibus si jungatur alia, non quidem debita, sed tamen bona, quia cadens sub consilio, ea addit quidem aliquam bonitatem; ejus tamen absentia nullam addet malitiam.

XIX. Colligitur tertio: circumstantias non semper induere rationem objecti, ut putavit Durandus; sed tunc solum, quando primario, & per se intenduntur, & sunt volitae ab operante: alias circumstantiae semper variantur specie actum, quod tamen est falsum. Quare cum circumstantia non est primario, & per se, sed solum secundario, & ex consequenti volita; supervenit actu in sua specie iam constituto, etque accidens illum veluti superveniens, & circumstantia, ut in eo, qui intendit praefere furari: quia tamen non alibi, quam in loco facere sese et offerre occasio, oblatam arripit occasionem; in hoc malitia criminis supervenit furto.

XX. Hinc responderi potest insuper fieri solent: nimirum, quod cum circumstantia nequeat moraliter afficere actum, nisi si sit volita; sequitur, omnem circumstantiam induere rationem objecti. Nam etiam non omnis circumstantia sit primario, & per se volita, & proinde non semper induit rationem objecti primario, & per se talis: quia tamen secundario & indirecte, seu per modum accessorii est volita; ideo dici potest, quod induat rationem objecti secundario voliti; quod tamen non dat speciem actui, sed actui in specie constituto accidentiter advenit. Et in hoc sensu exponendus est S. Thom. 1. 2. q. 1. art. 2. cum dicit, actum interiore a solo objecto accipere bonitatem. Nominem enim objecti intelligit id, quod voluntas non solum directe, & primario, & immediate vult, sed etiam quidquid est ab ea volitum, sive immediate, sive mediate, sive primario, sive secundario: ac proinde non excludit circumstantias, quae saltem indirecte, & secundario sunt volitae.

XXI. Dices tamen: Circumstantia, ut plurimum sunt extrinsecae actui humano, ut patet de loco, & tempore; ergo non possunt illi dare bonitatem, aut malitiam intrinsecam.

Respondet, neg. conso. Alioquin cum etiam objectum sit extrinsecum actui humano, nec istud posset et dare aliquam bonitatem intrinsecam. Quomodo ergo actus humani sumunt ab objecto bonitatem, vel malitiam moralem intrinsecam, specieam, & essentialem: quia licet illud sit actui extrinsecum, ordo tamen transcendentis ad ipsum est actui intrinsecus, ita quoque a circumstantiis, quavis extrinsecis, accipere possunt actus humani bonitatem, vel malitiam moralem intrinsecam, sed accidentalem; quia pariter ordo, quem dicunt ad circumstantias, intrinsecus est.

XXII. Dices ulterius: Dignitas personae, quae est circumstantia; Quis, non dat aliquam speciem bonitatem, vel malitiam actui. Nam et duo homines inaequalis sanctitatis eliciunt eandem operationem bonam cum eadem intentione, & in eisdem circumstantiis: actio personae majori sanctitate praeditae non erit melior. Et e contra si persona majori sanctitatis peccet, vel venialiter, vel mortaliter; ejus peccatum, ceteris paribus, non erit gravius peccato personae minoris sanctitatis.

Respondet, dist. ant. Actui, in quem conditio personae non influit, sed per accidens, & mere concomitanter se habet, conc. ant. In quem conditio personae influit, nego ant. Alii ergo sunt actus, ad quos major dignitas personae mere per accidens, & concomitanter se habet, ut comestio: unde comestio Regis ejusdem rationis est, ac comestio rustici; quia dignitas regia ad comestionem mere per accidens se habet. Alii vero sunt actus, in quos dignitas personae per se influit, & qui supra dignitatem personae reflectunt: & hujusmodi sunt actus honoris, obsequii, humilitationis: & in his moralis valor ex dignitate personae crescit. Unde honor, obsequium, humilitatio a Rege procedens valoris majoris est, quam si procederet a rustico, vel plebeo. Et hac ratione docemus in Tract. de locarnis, actiones Christi Theandricas, quia reflexivae supra dignitatem divinae Personae, fuisse valoris simpliciter infiniti. Cum ergo major sanctitas personae nihil in-

fluat, sed pure concomitanter se habeat ad actum bonum: ideo si alia persona minoris sanctitatis, cum aequali tamen intentione eundem actum producat, in utraque aequi talis erit bonitatis. Et idem dico de peccato, ad quod major personae dignitas, nisi addit aliquid adjunctum, mere per accidens, & concomitanter se habet. Dixi nisi addit aliquid adjunctum; Quia si persona sit a Deo donata perfectioni cognitione, gravior in eodem genere peccat ratione malitiae, & ingratitude, si etiam in dignitate sit constituta; sicut bona opera ejus digniora sunt, quia suo exemplo alios trahunt: ita eorumdem peccata sunt graviora ratione scandalii, & gravi exempli: & in hoc casu major sanctitas, aut dignitas personae per se influit in aequi circumstantia moralis.

XXIII. Dices tertio: Quantitas materiae, & objecti, quae est circumstantia: Quis, si augere bonitatem, vel malitiam, augere possit in infinitum, ut in eo, qui desideraret tantis pauperibus subvenire, vel infinitis nocere: si enim major quantitas majorem dat bonitatem, aut malitiam, infinita dabit infinitam: hoc autem est impossibile, ergo &c.

Respondet, neg. maj. Ad ejus probatam dico, ad quantitatem objecti augeri bonitatem aut malitiam actus proportionatim fieri ad capacitatem intellectus, & voluntatis. Cum enim bonitas, aut malitia non augeretur ex quantitate objecti in esse rei, sed in esse subiecti, ut voluntati ab intellectu propositi; nec proponatur infinita, nisi imperfecte, & confuse, non vero secundum distinctas, & individuas singularum rationes: inde fit, actum voluntatis, qui fertur in objectum quantitate infinitum, non propterea habere bonitatem, vel malitiam infinitam.

XXIV. Dices quarto: Intensio actus, quae est circumstantia: Quomodo, specie nequit actui praeferre bonitatem, cum non sit volita, ut cogitata ab operante.

Respondet, neg. ant. Eto enim intensio actus non sit cogitata, aut volita in actu signato, speculative, & determinate: est tamen cognita, & volita in actu exercitio, & practico: quia sentitur, & experientio percipitur fervor, aut tepor voluntatis. Unde hoc ipso, quod voluntas actum illum fervidum, vel tepidum exercet, intensioem, vel remissionem illius amat.

XXV. Dices quinto: Si duratio, vel continuatio actus, quae est circumstantia: Quomodo, augetur ejus bonitatem, aut malitiam; actus continuatus per horam, in qua sunt infinitae partes, & infinita instantia, infinitam habebit bonitatem, aut malitiam: & contra vero actus durans solum unicum instanti, nullam habebit ex duratione bonitatem, aut malitiam, sed solum ex objecto.

XXVI. Respondet, ad primam neg. ant. Quod enim actus continuatus per horam ex continuatione acquirat majorem bonitatem, vel malitiam supra actum continuatum solum per quadrantes horae, non ex partibus proportionalibus, quae infinitae in potentia sunt, accidit, sed ex partibus, & instantibus aliquotibus, & determinatis, quae in una hora finita, & determinata sunt. Ut enim dicemus, bonitas, & malitia in actu requirit advertentiam rationis, & volitionem saltem exercitam, & distinctam: licet autem sit distincta rationis advertentia ad primum instanti, in quo voluntas incipit operari, & voluntas in eo instanti operandi & similiter in aliis partibus aliquotibus, & determinatis illius horae: non tamen est distincta advertentia, nec esse potest, ad singula instantia, nec ad singulas partes proportionales, sicut nec expressa volitio in illis operantis, cum indeterminato, & confuso modo fluant, & transeant.

XXVII. Ad secundam aliqui volunt, actum durantem uno tantum instanti habere bonitatem solum ex objecto: quia, inquiunt, quilibet actus ad sui existentiam, & moralitatem specificam, quam sumit ab objecto, requirit aliquam durationem, quae non potest esse minor, quam unum instanti. Alii vero oppositum sentiunt, volentes, quod actus, est unice instanti durat, habeat bonitatem essentialem ex objecto, & accidentalem ex duratione; quia sicut cum plena rationis advertentia voluntas exerceret circa hoc objectum, ita cum plena advertentia exerceret in hoc instanti. Addunt, quod potest esse specialis difficultas ad exercendum actum bonum in hoc instanti, quae dum vincitur, specialem bonitatem actui tribuat. Et sane specialis difficultas est in inchoatione alicujus operis, quam in ejus profectum. Que responsio videtur probabilior.

XXVIII. Ex dictis inferre poteris cum D. Thom. hac q. 18. art. 10. & 11. aliquas esse circumstantias, quae mutant speciem bonitatis, aut malitiae moralis; alias, quae eam speciem non mutant, sed solum augent intra eandem speciem. Ille enim, quae a ratione accipiuntur, ut mere determinantes actum in eadem specie, nec ut addentes specialem aliquam conformitatem, vel difformitatem ad regulas morum, solum augent bonitatem, vel malitiam intra eandem speciem. Quae vero a ratione accipiuntur, ut principalis conditio objecti determinantis speciem actus, & proinde specialem inducunt conformitatem, vel difformitatem in objecto ad regulas morum, mutant speciem actus. Sicut (inquit S. Thom. art. 10. citato) tollere alienum habet speciem ex ratione alieni: ex hoc enim constituitur in specie furci. Et si consideretur super hoc ratio loci, vel temporis, se habebit in ratione circumstantiae. Sed quia ratio etiam de loco, vel tempore, vel alii hujusmodi ordinare potest, contingit, conditionem loci circa objectum accipi, ut contrarium ordini rationis; puta quod tollere alienum, in injuriam non esse faciendum loco sacro: unde tollere alienum de loco sacro, addit specialem repugnanziam ad ordinem rationis. Et idem legitur, qui prius considerabatur, ut circum-

stantia, nunc consideratur ut principalis conditio objecti rationi respondentis.

De circumstantia vero non importante specialem ordinis rationem, & non induente rationem objecti, exemplum ponit ibi art. 11. his verbis: Sicut tollere aliquid in magna quantitate, vel parva non respicit ordinem rationis in bono, vel malo, nisi praesupposita aliqua alia conditione, per quam actus habeat malitiam, vel bonitatem; puta, hoc, quod est esse alienum, quod repugnat rationi. Unde tollere alienum in magna, vel parva quantitate, non diversificat speciem peccati; tamen potest aggravare, vel diminuire speciem peccati.

6 III.

Actus Moralis speciem sumit a fine Operantis.

XXIX. De hoc egimus supra quaest. 1. de ultimo fine, toto dubio 3. quo remittimus Lectorem. Modo tamen breviter.

Dico. Actio humana interdum ultra bonitatem, & malitiam, quam sumit ex objecto, habet aliam ex fine operantis. Dico interdum: quia aliquando in actione humana finis operantis non est alius ab objecto, seu a fine operis: ut cum quis facit elemosynam ex solo fine misericordiae, qui est sublevare alienum miseriam, vel ex amore justitiae reddit debitum.

XXX. Probatur, & simul explicatur. Si quis v. gr. jejuniat, ut malum oret, actus illi humanus speciem moralitatis habet, & ex objecto, & ex fine. Cum enim bonitas moralis sit ipsa conformitas ad regulas morum, sicut actus ille tamen conformitatem habet, & ex objecto, & ex fine: ita ex utraque parte habet bonitatem. Nam jejuniatum ex se ipso, etiam sub lato sine orationis cum sit actus abstinenciae, est actus virtutis, & conformitatem habet cum regulis morum. Oratio ex seipsa, etiam seorsim a jejuniato exercita, est actus Religionis; ac proinde independentem a bonitate objecti jejuniati habet conformitatem ad regulas morum. Si igitur actus humanus specificatur ab objecto, & a fine: & ab utroque desumit speciem moralitatis, quando ex utraque parte datur specialis habiitudo ad regulas morum. Quod si hac habiitudo sit per conformitatem, ut in exemplo allato, erit duplex species bonitatis moralis: si vero sit per difformitatem, erit duplex species malitiae moralis.

XXXI. Hoc docet D. Thomas nedom hic art. 6. & 7. sed & lib. 3. Contra Gentes cap. 138. his verbis: Contigit autem, ut cum actum durans virtutum esse, dum actus unius virtutis ad finem alterius virtutis ordinatur: ut cum quis furatur, ut servitorem accipiat, quidem secundum speciem suam est virtutis, secundum intentionem vero luxuriae. Eodem autem modo & in virtutibus contingit, quod actus unius virtutis ad aliam virtutem ordinatur: sicut cum quis dat suam, ut cum altero amicitiam habeat charitatis, alius quidem ex sua specie est liberalitatis, ex fine autem charitatis. Et 2. quaest. 31. art. 1. ad 2. Nihil (inquit) prohibet actum, qui est proprie unius virtutis objective attribui alteri virtuti, sicut ordinari, & operanti ad suam finem. Et 2. quaest. 134. art. 2. ad 2. Martyrium (inquit) est actus charitatis, ut imperantis, fortitudinis autem est elicientis: ergo in actu bono ex objecto, & fine duplex bonitas invenitur, quae a duplici virtute procedit: una, quae actum imperat, altera, quae actum elicit. Unde martyrium habebit bonitatem fortitudinis, & iustitiae bonitatem charitatis.

XXXII. Sed dices cum Vasquez. Quando aliquid opus ex objecto bonum, eligitur tamen ut imperatum, & ordinatum ad finem altioreem: tunc opus illud fit assumptum habet rationem medii utilis, & conducentis ad illum finem, propter quem amatur; ergo in ipso amatur fola bonitas finis, & haec sola, propter quam eligitur, in eo relictur.

XXXIII. Respondet, neg. ant. Ut enim diximus supra quaest. 1. de ultimo fine dub. 4. §. 1. num. 6. & 7. cum aliquis eligat actum ex objecto honestum, ordinans ipsum, & imperans ad alium altioreem finem; puta, cum eligat jejuniare, ut melius vacet orationi: seu eligat perpetuum castitatem, ut liberius servit Deo: sic eligenti utrumque placeat, nimirum, & honestas objecti, & finis, ad quem ordinat rectitudo; & utraque movet ipsam, licet una subordinata ad aliam. Sicut enim causa prima secunda influxum non consumit, sed juvat, & perficit; ita electio finis superioris objecti honestatem non extinguit, sed auget, & decorat.

XXXIV. Verum tamen est, quod ut supra diximus, quaest. 1. de ultimo fine dub. 3. §. 2. num. 8. & 9. ex D. Thomae, bonitas actus imperati magis principaliter sumitur ex fine, ad quem a voluntate imperatur, quam ex objecto: nam bonitas finis respectu voluntatis imperantis se habet quasi formaliter, bonitas vero objecti, quasi materialiter, ut indiximus. Quare cum D. Thom. hac quaest. 86. art. 6. dicit, quod qui furatur, ut committat adulterium, magis est adulter, quam fur; solum vult, quod cum ita operans magis afficitur erga Injuriam, quam circa rei alienae ereptionem, in eo praevaleat malitia luxuriae, quam furit. Cum enim detraque magis adulter, quam fur, satis indicatur, cum utrumque malitiam contrahere, quavis magis appareat malitia finis perverfi, nempe adulterii.

Addo, actum imperatum, puta, jejuniatum ad melius orandum, posse sumi reduplicative, ut imperatum, & specificative. Si sumatur reduplicative, cum actus reduplicative ut imperatus reputetur unus, & idem cum imperante; idem objectum formale est utriusque. Si vero sumatur specific-

cative, & in se; actus imperatus speciem prius desumit ab objecto suo. Quia distinctione conciliatur dicta S. Thom. qui propterea hac q. 18. art. 7. dicit, quod ille, qui furatur, ut maeheret, committit duas malitias in uno actu.

XXXV. Sed considerandum est cum D. Thom. hoc laudato, quod objectum exterioris actus, seu actus imperati, dupliciter potest se habere ad finem voluntatis. Uno modo sicut per se ordinatum ad ipsum; sicut bene pugnare per se ordinatur ad victoriam. Alio modo per accidens; sicut accipere rem obiectum accidenti ordinatur ad dandum elemosynam. Si ergo objectum exterioris actus per se ordinetur ad finem, bonitas, vel malitia, quae est ex objecto, continebitur sub bonitate, quae est ex fine, sicut species sub genere; vel sicut differentia per se determinativa illius. Si vero objectum non est per se ordinatum ad finem, differentia specifica, quae est ex objecto, non est per se determinativa ejus, quae est ex fine, nec a contrario. Unde de uno istarum specierum non est sub alia; sed tunc actus moralis est sub duabus speciebus quasi disparatis, & consequenter est in duplici specie bonitatis, vel malitiae: ut in eo, qui furatur, ut maeheret. Quapropter cum D. Thom. dicit, bonitatem, quae est ex objecto, contineri sub bonitate finis, dicit speciem sub genere, loquitur de objecto per se ordinato ad finem, ut de objecto pugnae, quod per se ordinatur ad victoriam: non vero de objecto non per se ordinato ad finem, sed solum per accidens; quia tunc ex voluntate operantis accidit ei, quod ad talem finem ordinatur: sicut accidit objecto furti, quod ordinatur ad elemosynam; & sic alia erit bonitas objecti, alia finis, licet illa subordinetur illi. Et hoc bene notandum est.

XXXVI. Nec videatur mirum, quod idem actus secundum naturam sit in duplici specie secundum esse moralem. Etenim, ait D. Thom. a. 7. citato ad 1. Secundum substantiam suam non potest aliquid esse in duabus speciebus, quarum una sub altera non ordinatur. Sed secundum ea, quae rei advenit, potest aliquid sub diversis speciebus contineri: sicut hoc panem secundum colorem continetur sub hac specie, scilicet albo, & secundum odorem sub specie bene redolenti. Et similiter actus, qui secundum substantiam suam est in una specie naturae: secundum conditiones morales supervenientes, ad duas species referri potest; ut supra dictum est (q. 1. art. 3. ad 3.) & nos supra retulimus q. 1. de ultimo fine dub. 3. §. 2. num. 13.

DUBIUM IV.

An idem actus numero possit esse bonus ex objecto, & malus ex fine, vel a contrario.

S. I.

Quidam praesentantur.

I. Posse eundem numero actum a voluntate elicatum successively esse moraliter bonum, & malum, seu transire de bono in malum, suppono certum contra Gabrielem; & alios quosdam. Quomodo enim idem actus intellectus, ex sola variatione objecti, potest de vero transire in falsum; ut hic actus: Petrus sedet, Petro sedente est verus; & continuatur, ipso surgente, & itane evadit falsus: ita idem numero actus voluntatis continuatus potest pro uno tempore esse conformis legi, & bonus, & variato moraliter objecto, pro altero malus, & legi difformis: ut in eo, qui volens continuare comestionem carniū per horam, & pro media hora comestio sit licita, pro alia dimidia esse illicita. Nam tunc est idem actus numero non interruptus, qui variato objecto, de licito in illicitum, de bono in malum transiret. Quod docuit S. Th. q. 2. de malo a. 4. ad 7. sic: Nihil prohibet, aliquid esse idem numero secundum usum genus; quod tamen secundum aliquid genus, non solum numero, sed specie differat. Sicut si sit aliquod corpus continuum in una parte album & in alia parte nigrum, est unum numero, in quantum est continuum; sed differat non solum numero, sed specie, in quantum est coloratum. Et similiter si in aliquo actu continuo primo feratur intentio ad bonum, postea ad malum; sequitur sit unus actus numero secundum suam naturam, sed tamen differat specie, secundum quod est in genere mori.

II. Difficultas ergo ad hoc devolvitur, an idem actus voluntatis pro eodem tempore possit esse simul bonus, & malus ex diversis principiis; puta, bonus ex objecto, & malus ex fine, sicut cum quis dat elemosynam propter vanam gloriam. Etenim quod actus malus ex objecto possit fieri bonus ex fine, puta cum quis furatur; ut de elemosynam communitur negatur a Theologis. Furum enim, non obstante quocumque bono fine apollo, non definit esse peccatum, & si sit in materia notabilis, etiam mortale: malitia enim, quae est ex objecto, utpote essentialis, reddit actum incapacem cujuslibet bonitatis a quocumque proveniat. Unde difficultas restringitur ad actum ex objecto bonum: an sit semper bonus, non obstante appositione mali finis. An scilicet elemosyna data ob vanam gloriam, adhuc retineat moralem bonitatem.

III. Circa quod nota: actionem humanam, est ex objecto bonam, si fiat ex malo fine, non esse simpliciter bonam, sed evadere simpliciter malam. In hoc enim omnes consentiunt: & expresse D. Thomas hoc art. 4. ad 3. Non est (inquit) actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant; quia quilibet singularis defectus causat malum: bonum autem causatur ex integra causa, ut Dionysius dicit 4. cap. de divinis nominibus. Contra verba hoc solum est: an sicut in naturalibus potest idem subjectum retinere bonitatem quoad aliquid, & esse malum quoad

quod aliud; ut habere pulchros oculos, & nasum deformem; & in artificialibus idem opus secundum unam partem esse conformem legibus artis, & secundum aliam deformem: ita in moralibus eadem actio possit esse bona ex objecto, & simul ex fine operantis, vel alia circumstantia mala; & proinde bona saltem secundum quid. In quo affirmativam, præter extraneos, Nostratum aliqui tenent Cijetianus, Serra, Bancel. Attamen,

S. II.

Resolutio Dubii.

IV. Deo. Adus ex objecto bonus, sed ex fine, aut circumstantiis malus, totus fit malus; & malitia finis, aut circumstantiarum omnem ejus moralitatem bonitatem penitus destruit. Hoc assertum probatum manet ex superioribus dictis q. 2. de Ultimo sine dub. 3. S. 1. num. 3. ex verbis Christi Matth. 6. si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebricosum erit. Ubi, teste S. Augusti sibi relato, nomine oculi intelligit Christus intentionem, qua facimus quicquid facimus. Sic ergo totum corpus operis, si oculus intentionis fuerit nequam, erit tenebrosus, nihil lucis, idest, bonitatis moralis in eo manebit.

V. Probat uterius nunc primo auctoritate S. Thomæ in 2. dist. 38. q. 1. n. 4. ad 4. dicens: Cum aliquis vult dare elemosinam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis; & hic actus totus malus est, licet nunquam adimpleatur quod in eo est, malitiam habens. Ergo actus ex fine malus licet malitiam non habeat ad objectum, totus tamen erit malus. Et hac 1. q. 19. a. 7. ad 2. voluntas non potest dici bona, si sit intentio mala causa volendi. Qui enim vult dare elemosinam propter inanem gloriam, vult id, quod de se est bonum, sub ratione mali; & ideo pro ut est volitum ab ipso, est malum, unde voluntas ejus est mala. Et ad 3. Malum (inquit) consistit ex singularibus defectibus: bonum autem ex tota & integra causa. Unde si voluntas sit ejus quod est secundum se malum, & sub ratione boni; si sit boni sub ratione mali, semper voluntas erit mala. Quibus ab actu bono ex objecto, pravo autem ex fine, excludit omnem bonitatem etiam ex parte objecti. Tam quia dicit, objectum bonum, volitum ex fine pravo, esse volitum sub ratione mali, objectum volitum sub ratione mali, non est in ratione objecti moraliter bonum; ergo &c. Tum etiam quia dicit, voluntatem esse malam, si sit ejus, quod est secundum se malum, sub ratione boni; si sit boni sub ratione mali: sed voluntas de malo sub ratione boni, nullam habet bonitatem ratione boni finis; ergo voluntas boni sub ratione mali nullam habet bonitatem ex objecto.

VI. Uterius 1. 2. q. 18. a. 5. ad 4. docet, quod cum aliqua circumstantia transmutat actum de bonitate in malitiam, talis circumstantia fuitur, ut indifferentia essentialis objecti, secundum quod ad rationem comparatur: sed objectum, puta elemosina ex fine inanis glorie volita, est volita contra dictam recte rationis; ergo hæc circumstantia est differentia essentialis objecti transferens illud, nempe elemosinam, de bono in malum, & sic nec retinetur bonitatem ex parte objecti.

VII. Probat ratione fundamentali ex dictis. Cum aliquis vult dare elemosinam propter inanem gloriam, objectum illius voluntatis, ut est objectum, est malum, cum sit sub ratione mali; ergo nullam boni speciem dare potest illi actui; quia objectum non specificat actum secundum se sumptum, sed formaliter sub ea ratione, sub qua attingitur. Ant. probatur. Elemosina, volita propter vanam gloriam, est volita contra dictamen, & regulas recte rationis; sed objectum volitum contra regulas recte rationis est objectum in ratione objecti malum, quia sub ratione mali volitum, nempe in ratione medi ad malum finem ordinati; ergo &c.

VIII. Confirmatur. Ut aliquis actus sit bonus, saltem inæquitate, debet regulari per dictam recte rationis, & prudentie, quæ est proxima regula humanorum actuum, ut ostendimus: sed electio objecti de se boni, puta elemosina, aut jejuniæ ad malum finem inanis glorie, non regulatur per dictam recte rationis, & prudentie, quæ dicit, bonum bene esse sciendum; & bonum fieri male, seu ex malo fine, non esse bonum: unde Divus Thomas dicit: velle facere aliquid, quando non debet fieri, non est velle bonum, quod idem docet de aliis circumstantiis; ergo &c.

IX. Probat uterius alia ratione confirmativa hucusque dictorum. Bonum fieri ex motivo malo, non est bonum, nec conforme rationi; & bonum fieri male non est bonum, est enim præbere materiam ipsi malo: unde elemosina, facta ex vanagloria, non est elemosina formaliter, sed materia in qua titulo elemosinae exercetur vanagloria, licet habeat effectum elemosinae, nempe sublevamen alienæ miserie: sed quando opus bonum fit ex malo fine, fit ex motivo malo, quia finis est motivum faciendi, & illud bonum non fit bene, sed male: ergo fit contra rationem, & est malum, quia ex dictamine malo adæquate movetur.

X. Ex his apparet differentia inter artificialia, & moralia in hac parte. Nam artificialia ex pluribus partibus constantia, sicut & naturalia, non regulantur una & eadem regula pro omnibus partibus, sed una pars una regulatur regula, altera alia: unde fit, quod una pars possit esse fua regula conformis, altera vero fua regula difformis. At in moralibus unica est regula, nempe, dictamen recte rationis, cui subdubent finis, & media: unde si ei conformentur, totum opus erit moraliter bonum; si ab eo in aliquo difformet; totum

erit moraliter malum. Rursus: cum moraliter operans operetur propter unum finem, & omnia quæ facit in illo negotio, illi fini subordinet; si finis in se, aut ex circumstantiis malus sit, omnia, quæ in illo actu accipiuntur ut deservientia tali fini, vicio illius inquinantur.

S. III.

Solutio argumentorum contraria sententia.

XI. Obijciunt primo. Opus, quod est meritorium alicujus præmii, saltem temporalis, debet esse moraliter bonum: quia sicut nihil est demeritorium, nisi sit moraliter malum; ita nihil est meritorium, nisi sit moraliter bonum; sed opus habens objectum bonum, est fit ob finem malum, est meritorium alicujus præmii temporalis; ergo &c. Min. probatur ex D. Augusti lib. contra Mendacium c. 2. ubi de Jelu loquens ait: Cum vero scriptum sit, cum verum cor non habuisset cum Deo: quid ei profuit, quod pro nonnulla obedientia, quæ de domo Achab omnino decemda pro cupiditate sua damnationis exhibuit, aliquantulum mercedem transitoriam regni temporalis accepit? Quibus S. Augustinus ostendit, Jelu Regnum temporale in mercedem a Deo reportasse: quia fecerat id, quod Deus præcipiebat, exterminando familiam Achab, quamvis idem faceret ex pravo fine, nempe, ex dominandi cupiditate. Quod ipse verbus Domini 4. Reg. 10. v. 30. comprobatur, dicens Jelu: Quia Judæis egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab: filii tui usque ad quartam generationem subsistent super thronum Israel. Et tamen animus Jelu non erat rectus; statim enim subditur V. 31. Porro Jelu non custodiit, ne ambularet in lege Domini Israel in toto corde suo: non enim recessit a peccatis Jeroboam, qui peccare fecerat Israel. Igitur Jelu non erat bonus, ne bonam intentionem haberet in executione divini præcepti; & tamen præmium temporale recepit.

XII. Respondet primo, hoc factum Jelu, cum iustum sit, dicit Bancel noster, contra ipsum militare. Nam ipse factus est, actum ex objecto bonum semper manere bonum, non obstante malo fine: ita asserit, actum ex objecto malum, puta furtum, aut mendacium, semper esse malum, etiam si fiat propter bonum finem. Hoc enim aperit docet Sandus Augustinus lib. contra Mendac. c. 7. Et quæ constat esse peccata, nullo bono causa habent, nullo quæsi bono fine, nullo velut bono intentione facientia sunt. Ex quo inferre contra Priscillianistas, qui mendacium ex se esse peccatum, nullo etiam bono fine esse meritorium. Atqui Jelu non solum fecit opus bonum, quia a Deo præceptum, nempe, occidendo filios Achab, quamvis ex pravo fine; sed etiam fecit opus ex se malum ex bono fine, cum ob exterminandum cultum Baal mendacium elegit, ibi v. 18. dicens: Achab celavit Baal parvam: ego autem colam eum amplius, indixitque diem solemnem Baal, omnesque ad eum vocavit. Quo exemplo, teste Sancto Augustino relato cap. 2. Priscillianistæ utebantur; ergo si ex facto Jelu colligitur, opus bonum ex objecto esse bonum, et si fiat ex malo fine, quia a Deo præmium reportat, eadem ratione debet concludi, opus sua natura malum, si fiat ex bono fine, evadere bonum, quia præmiatur a Deo: vel si opus malum, est factum ex bono fine remanens malum, præmiatur a Deo; pariter si opus sua natura bonum, est factum ex malo fine, præmiatur a Deo, a Deo præmiari opus quantumvis malum.

XIII. Respondet ergo pro me, & pro Bancel, in facto Jelu distinguenda esse duo: nempe, substantiam actus, scilicet; adimpletionem divini mandati; & modum, seu animum, quo illud adimplevit Jelu, & media, quibus usus est. Si spectetur substantia actus præcisa a circumstantiis, ut a Deo præcepta, bona erant, & propter hanc nonnullam obedientiam, ait Augustinus, mercedem aliquam temporalem a Deo reportavit: quia Deo obediendo bonum fecit. Sed si spectetur modus & animus Jelu in adimplendo divino mandato, nempe, ambitio dominationis; & medium, quo usus fuit in exterminando cultum Baal, nempe, mendacium; & actus ille totus est moraliter malus, quia bonum fecit, sed non bene; sed illud voluit, non sub ratione boni, sed sub ratione mali, & difformiter recte rationis. Illa autem Dei verba Judæis egisti cadunt supra substantiam actus, & zelum, quo conplexerat mandatum Dei de destructione cultus Baal, & interfectione familiæ Achab; sed non supra medium, quo impleverat primum, & finem, quo ad secundum motus fuerat.

XIV. Respondet potest secundo eo modo, quod de obstrictibus Ægyptiis: quæ mendacio impleverunt præceptum Dei, & tamen mercedem receperunt, loquitur Sanctus Gregorius lib. 18. Moral. cap. 13. nimirum, ex qualitate præmii temporalis non aterni, colligit potius, quid mereretur opus illud Jelu, quia non recte factum. Verba Sancti Gregorii loquentis de obstrictibus mercede: In qua magis recompensatione cognoscitur, quid mendacii culpa mereatur. Nam benignitatis eorum merces, quæ eis in æterna patria vitæ reddituri pro admittæ culpa mendacii in terrarum est recompensationem decernitur: ut in vita sua, quam mentionem tueri volunt, ea quæ fecerunt, bona recipiant; & ulterius, quod expectant; mercedis suæ præmium non habent. Nam si subtiliter perpendatur, amore vitæ presentis mentis suæ, non intentione mercedis. Parcedo quippe cunctis suis infantium vitam regere, mentione, suam.

XV. Ex superioribus dictis incipit apparere, quod respondentum sit alteri fundamento, cui maxime fidei adversa sententia, quod

quod sic proponitur. Actus ille est moraliter bonus, per quem adimpletur divinum præceptum: cum enim adimplere divinum præceptum bonum sit, fieri nequit nisi per actum aliqualem bonum: sed per actum ex objecto bonum, quamvis malum ex fine, adimpleri potest divinum præceptum: si quis enim habeat præceptum jejuniandi, orandi, elemosinam faciendi, esto hæc omnia faciat ex vanagloria, tamen implet præceptum; ergo &c.

Confirmatur. Qui, urgente præcepto dandi elemosinam, eam tribuit ob inanem gloriam, melius facit, quam qui nullo modo implet tale præceptum; ergo actus ille habet aliquam bonitatem saltem ex objecto.

XVI. Respondetur communiter, dist. maj. Si præceptum fit non solum de substantia actus, sed etiam de modo, seu non solum de actu externo, sed etiam interno, conc. maj. Si præceptum solum sit de actu externo quoad substantiam, & materiam ipsius actus, nego maj. Si ergo præceptum sit non de solo actu externo, sed etiam interno, non solum de substantia actus, sed de modo, ut scilicet non solum fiat, sed ut studiose, & bene fiat; tunc non impletur per solam exhibitionem actus externi, seu boni effectus, sed etiam boni actus moralis, & bene moraliter facti. Si vero præceptum sit solum de actu externo, & de substantia, seu materia præcepti ponenda, non potest impleri actu bono bonitate morali, sed solum bono effectu, seu bona materia, & substantia actus; quia hæc sola præcipitur. Ubi advertendum est ex D. Thomæ hac 1. q. 100. art. 9. modum adimplendi præcepta bene, ac virtuosè non cadere directe, & per se sub lege humani, sed solum sub lege divina; quæ non solum præcipit substantiam actus virtuosè quoad actum externum, sed etiam quoad recta intentionem, & virtuosè fit. Nec in omnibus suis præceptis lex divina hoc jubet, sed in illis, quæ disponunt de interiori rectitudine hominis, & quæ pertinent ad directionem cordis, & justificationem, seu mundiciam interioriorem: ut credere, sperare, diligere, ponitè, non machari in corde, rem alienam non concupiscere. Quare bene potest aliis præceptis satisfieri per actum exhibentem externam materiam actus boni, est ex parte operantis male fiat, & actu non bono moraliter. Et hoc modo impletur præceptum honorifice parentis, licet non fiat ex charitate, ut docet D. Th. laudato loco art. 10. & impleri potest præceptum non faciendi, & non machandi esto ex inani gloria, vel alio fine non bono id fiat. Cujus generis cum fuerit præceptum de exterminando cultu Baal, & familia Achab, ideo quamvis Jelu non impleverit bene, & quoad modum, quia tamen posuit substantiam actus, & materiam præceptam, potuit ei dici a Domino: Egisti, quod rectum erat, & placebat oculis meis, & a me præceptum.

XVII. Ad confirm. neg. ant. si ly melius sumatur positive, & comparative. Nam qui, urgente præcepto dandi elemosinam, eam tribuit ob inanem gloriam, esto minus male faciat, quam qui nullo modo tale præceptum implet; non tamen proprie melius facit, quia neuter formaliter bene facit: & ideo comparative melius est de subiecto non supponente. Sicut qui dormiens non frangit præceptum non furandi, melius facit, quam qui illud violat, non tamen proprie; quia dormiens nullam exercens voluntariam operationem, nihil boni facit: ubi autem non est bonum, melius esse non potest.

XVIII. Sed dices. Finis pravus diminuit quidem bonitatem, quam actus ex objecto habet; non tamen eam omnino tollit: quia finis bonus diminuit quidem malitiam, quam actus habet ex objecto, ut in eo, qui furatur, ut dat elemosinam; sed non tribuit bonitatem objecto. Alias si finis pravus tolleret bonitatem ab objecto, actus de objecto bonus factus ex fine pravo, duplicem malitiam haberet: unam ex fine, puta, vanæ glorie; & aliam ex objecto depravato, nempe elemosina vitiosa.

XIX. Respondet neg. ant. Finis enim pravus tollit orationem ab objecto, ut propter ipsum volito, omnem bonitatem actualem, in exercitio male moraliter: quia finis ille pravus facit illud esse volitum contra dictamen, & regulas recte rationis. Dicit tamen potest, diminui bonitatem: quia in eo objecto manet bonitas radicalis, & in actu signato, ad differentiam objecti ex sua natura mali. Eadem ratione finis bonus dicitur diminueret malitiam actus ex objecto mali, puta, finis elemosinæ malitiam furti; non quia elemosina bonitatem aliquam mentalem exercitè tribuat ipsi furto: sed quia voluntas, seu intentio dandi elemosinam, de se habet objectum exigens bonitatem, seu petens regulari regulis rationis: quamvis propter impedimentum pravi medi, nempe, furti vitiosæ, & bonitate debita privetur. Unde bona manet in potentia, quod sufficit ad minuendum malitiam saltem negative; quia actus, ille non est omni parte est malus, est totus fit malus.

XX. Obijciunt tertio. Actus virtuosè elicit ex malo fine procedat ab illa virtute, cujus sunt actus; ergo aliquam bonitatem habent, quia virtus est de objecto honesto, & bonum facit ea utentem. Ant. veris exemplis probant. Primo: Qui refilit alteri quod debet, est id facti ex pravo fine, pura, ut nocet alteri illa pecunia, facit actum iustitiæ in restituendo; & Judeus, qui innocentem liberat ex vanagloria; & qui devote audit, vel dicit Missam, ut videatur ab hominibus; sciunt, ille, actum iustitiæ, ille, actum Religionis.

XXI. Secundo. Qui accedit cum attritione supernaturali ad Sacramentum Confessionis, ut capter inanem gloriam apud

Confessarium, habet attritionem ex pravo fine, & tamen, quia supernaturalis, est actus virtuosè, & sufficit ad hoc, ut sit dispositio ad justificationem in Sacramento.

XXII. Tertio. Cum quis assentitur veræ fidei, eamque confitetur ex eodem motivo vanæ glorie, talis actus est ex fine peccatum vanitatis; ex objecto autem est actus supernaturalis ex virtute fidei: quia ille assentitur ob testimonium divinum, etque vere fidelis: adeo ut si antea fuisset infidelis, per istum actum fieret vere fidelis.

XXIII. Quarto. Voluntas suscipiendi Baptismum, vel tolerandi martyrium conjuncta fini vanæ glorie adhuc est actus virtuosè, & sufficit ad consecutionem gratiæ, & gloriæ.

XXIV. Quinto tandem ratione. Nam qui habet habitus talium virtuosè, est ex pravo fine agit, augument facilitatem habere ad tales actus, qui repetit, etiam majorem habitum, puta misericordie, vel iustitiæ; ergo signum est, eos a tali habitu procedere.

XXV. Respondet neg. ant. Virtus enim moralis non potest procedere nisi virtuosè, & secundum regulas prudentiæ. Prudentia autem debet disponere de omnibus circumstantiis, secundum rectam rationem; nec permittit, ut actus advertententur fiat cum circumstantiis, aut sine pravo. Quare ad primum exemplum dico, quod qui refilit, quod debet, ad malum finem; implet quidem ex parte operis præceptum iustitiæ; quia hoc, ut diximus, non præcipit modum interiori actus, sed solum substantiam actus; nempe, ponere æqualem pro reparationem damni; sed actus ille, ut procedit a voluntate illius, non elicitur a iustitia in exercitio; quia nec bene fit; nec secundum regulas rationis, nec est moraliter bonus. Et idem dico de Judice absolvente innocentem ob vanam gloriam; & de eo, qui audit Missam, vel eam devote celebrat, ut videatur ab hominibus; nec etiam ille agit ex virtute iustitiæ, nec ille ex virtute Religionis.

XXVI. Ad secundum exemplum dico cum Jo. a S. Thoma, dupliciter posse hominem accedere ad Sacramentum Confessionis cum motivo inanis glorie, aut cum adhesionem ad aliquod veniale peccatum. Uno modo, ut tale motivum mere concomitantem se habeat: in quo casu in eo subiecto erunt duo actus diversi, & disparati, nempe, affectus vanæ glorie acquirenda apud Confessarium, vel adhesionem ad aliquod peccatum veniale; & verus ac supernaturalis attritio de aliis peccatis: & tunc vere iustificabitur penitens; quia est aliunde habet affectum ad vanagloriam, vel aliud veniale, hoc non impedit effectum justificationis. Alio vero modo, ut ipsa attritio habeat per motivum, & circumstantia ipsam inane gloriam. Hoc autem stare non potest: illa enim attritio, utpote supernaturalis, & disponens ad gratiam cum Sacramento, oritur ex gratia Spiritus Sancti excitante, & movente cor speciali & supernaturali Dei concursu: quomodo ergo oriri potest ex motivo vanæ glorie, & vitari circumstantia mala; cum dictamen ejus sit ex gratia excitante, quæ multo magis excludit quascumque circumstantias malas, quam quilibet prudentia virtuosè? Adde: quod idem actus non potest æque primo fieri ex motivis ita distantibus, scilicet, ex motivo vanæ glorie, & motivo penitentis, & expiandi peccata. Cum ergo hæc duo motiva non possint subordinari uni tertio, hoc enim tertium excoigabile non est; debet unum ex his motivis subordinari alteri. Vel igitur motivum penitentis subordinatur motivo vanæ glorie; & sic non penitenter, ut oportet: quia non movetur ex motivo supernaturali, pura, vel ex metu gehennæ, aut amissionis beatitudinis, sed ex vanæ glorie; vel alio motivo temporali detestatur peccatum. Vel motivum vanæ glorie subordinatur penitentis; & hoc est impossibile: quia peccatum veniale non est capax, ut referatur acti, vel virtute ad bonum finem. Quare talis actus non potest supernaturaliter fieri, & cum mala circumstantiis; & unus efficitur, si quis tentare attritionem habere ex motivo vanæ glorie, is veram penitentiam non haberet, nec se disponeret ad justificationem.

XXVII. Ad tertium exemplum de fidei actu eodem modo respondet præfatus Jo. a S. Thoma, quod, vel cum actu fidei vana gloria conjungitur pure concomitante ex parte operantis, non ex parte operis, quia non inest in illum, nec vitiat; & sic actus fidei est diversus ab actu vanæ glorie, & solum se habet ut materia, circa quam vana gloria versatur, aut de qua vana gloriatur; unde non vitiat ex illa, & potest a virtute fidei procedere. Vel vana gloria inest in actu fidei; & sic ex illa actus vitiat; nec potest a virtute fidei supernaturalis procedere. Tum qui procederet cum dictamine defectuoso; quod si non potest esse a prudentia multo minus a fide, vel auxilio supernaturali. Tum quia ille actus non haberet pro motivo testimonium divinum firmiter apprehensum, & propter se, sed solum ut subiectum motivo temporali; cuius signum est, quia cessante motivo vanitatis, ille non crederet. Si ergo credit, ejus fides non est supernaturalis; quia magis querit gloriam hominum, quam Dei. Quod si ita credens prius erat infidelis, fiet fidelis; sed quia non deponit errorem ob motivum naturale, sed temporale, non erit fide infusa, & supernaturalis, sed acquisita, & naturalis.

XXVIII. Hæc responsio non placet Gonet, qui censens, prædictum actum est ex motivo vanæ glorie elicitum, a fide infusa adhuc prodire, aliter respondet: quod cum fides sit essentialiter virtus intellectualis, per se primo speculativa, nec secundum se respiciat objectum sub ratione boni, sed sub ratione primi veri; non videtur destrui ejus actus per hoc, quod ad finem extrinsecum referatur; quia talis ratio repugnat quidem

dem bonitati morali, non tamen certitudinis, & infallibilitatis, quae est essentialis fidei. Actus ergo credentis ex motivo vanae gloriae, est carae bonitatis morali etiam ex objecto, non desinet esse actus fidei infusus; de eius ratione non est habere bonitatem moralem ex proprio objecto, vel aliunde, sed solum veritatem, & infallibilitatem. Utramque responsionem proposui: eligat Studiosus alterutram.

XXIX. Ad quartum exemplum de suscipiente Baptismum, vel martyrium cum affectu ad vanam gloriam, respondeo eodem modo, quo dixi de suscipiente Sacramentum poenitentiae cum attritione, & vanam gloriam. Vel enim vanam gloriam concomitantem solum se tenet ex parte operantis cum voluntate martyrii, aut Baptismi: & haec non impedit justificationem, nec vitium illam voluntatem. Vel vanam gloriam influit in actum, & tenet se ex parte operis: & tunc vitiat voluntatem: & Baptismus ex futeptus, aut martyrium nihil profunt ad justificationem, secundum Apostoli dictum 1. Corinth. 13. vers. 3. Si tradideris corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habueris, nihil mihi prodest. Imo tale martyrium non esset verum, sed apparens: cum non esset effusio sanguinis propter Christum, sed fidei defensionem; Hieronymo ad illa verba Galat. 2. Non efficiamur inanis gloria cupidi dicentes: Martyrium ipsum, si haec sint, ut admirationi, & laudi habeatur a fratribus, frustra sanguis effusus est. Quid vero dicendum sit de eo qui haberet voluntatem suscipiendi Eucharistiam, vel aliud Sacramentum vivorum ex vanitate, & peccato veniali; respondet Jo: a Thoma, quod si sit in gratia, recipit sanctum Sacramentum, non in vi illius voluntatis, quae peccatum est: sed quia ad fructum hujus Sacramenti sufficit esse in gratia. In Baptismo autem, martyrio, & Confessione, si quis non sit in gratia, sed peccato, justificari non potest: nisi habeat supernaturalem attritionem, quae sit motio Spiritus Sancti non dum inhabitantis, sed moventis, ut docet Trident. sess. 14. c. 4. quae haberi non potest ex motivo vanitatis, aut alterius peccati influentem, & vitiantem ipsum actum, ut dictum est, nisi solum concomitantem se habeat ex parte operantis.

XXX. Ad quintum ex ratione dico, majorem illam facilitatem, quam experitur is, qui habet habitum misericordiae, ad praedictum actum elemosynae, ob vanam gloriam factum, non provenire per se ab eiusmodi habitu, sed solum per accidens: quia nempe actus ille in materia simpliciter est actus a misericordia procedens: ad eum modum, quo habens habitum misericordiae acquiritur, facilius est ad actum etiam infusum; non quia acquisita per se influit in actum infusum; sed quia praedictae virtutes conveniunt in materia, esse non in ratione formali, eo ipso, quod acquisita per se habilitat potentiam ad proprios actus: tollit impedimenta, quae ex parte materiae retardare possent ad alios quocumque in tali materia efficiendos. Et eadem ratione largitio elemosynae, ob vanam gloriam, quamvis non sit formaliter actus virtutis, potest per accidens agere facilitatem ad veros actus misericordiae, tollendo impedimenta ex parte materiae.

XXXI. Obijciunt tertio, in naturalibus potest eadem res esse bona ex uno capite, & simul mala ex alio: nam idem homo potest esse mali visus, & boni auditus: sed, ut ait D. Th. hac quest. 18. art. 1. de bono, & malo in actionibus oportet loqui, sicut de bono, & malo in rebus; ergo &c.

XXXII. Responso patere potest ex dictis §. preced. num. 10. Quod vero dicit D. Thomas, solum indicat, bonum, & malum in moralibus assimilari bono, & malo in naturalibus in hoc: quod sicut in naturalibus bonum dicitur secundum, quod habet esse, malum vero secundum quod aliquo modo deficit ab esse; ita in moralibus bonum dicitur secundum quod habet esse secundum rationem, malum vero, ut deficit ab esse secundum rationem. Non vero in hoc: quod sicut in naturalibus malum unius partis non inficit, aut destruit bonitatem alterius ita nec in moralibus. Nam in his malitia unius partis non inficit, totum actum inficit, & facit eum esse contra regulas rationis, & prudentiae: unde nequit ex una parte esse actus virtutis, ex altera vitii; nam virtutes debent esse inter se connexae, ut nulla adfit, si una deficit.

XXXIII. Nec obstat, quod Sanctus Thomas hoc art. 5. ad 3. dicat: Nihil prohibet, actioni habenti unam praedictarum bonitatem desse aliam; Et secundum hoc contingit, actionem, quae est bona secundum speciem suam, vel secundum circumstantiam ordinari ad finem malum, vel a converso, non tamen esse actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant.

XXXIV. Nam respondeo, quod cum S. Thom. dicit: Nihil prohibet actioni habenti unam bonitatem, desse aliam; ly habenti non facit sensum compositum, quasi actio illi cum tali defectu conservet praedictam bonitatem; sed reddit sensum divinum, quod actio illa, quantum de se est, habitura esset bonitatem, nisi a illo pravo impeditur. Sicut enim si dicas: habenti sanitatem contingit disemperari humores: sed hoc ipso, quod disemperantur, destruitur sanitas, quia incipit male se habere: ita actus habenti de se bonitatem, eo ipso, quod opponitur prava circumstantia, adventit malitia: quia ille actus incipit fieri male. Unde D. Th. in 2. dist. 36. quest. unica, art. 5. in fine corp. concludit: Et ideo contingit, actum habere bonitatem ex materia, & tamen eum male fieri propter indebitas circumstantias.

Ad possit idem actus dicitur habere duplicem speciem, quae simul sit bona, vel simul mala?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. CUM precedente dubio resolutum fuerit, non posse eundem actum simul habere duas species moralitatis oppositas, bonitatis nempe, & malitiae; nunc quaerimus: an possit simul habere duas species bonitatis, vel duas species malitiae: ita ut dum aliquis vult jejunare, ut satisfaciat pro peccatis; ille actus sit simul in specie abstinentiae, & poenitentiae: & cum quis vult furari, ut fornicetur; ille actus sit simul in specie furii, & fornicationis.

II. Affirmative sententia subtrahitur omnes communiter, excepto Vasquez, qui esse concedat, posse eundem actum esse in duplici specie malitiae moralis; negat tamen, posse esse in duplici specie bonitatis moralis, ut aucto objecto, altera ex fine: qui in sum sententiam trahere conatur Ferrarientem, & alios; sed immerito.

III. Dico igitur, Unus, & idem actus potest simul habere duas species bonitatis, vel duas species malitiae, unam ex objecto, aliam ex fine. Probatur, eundem actum posse simul habere duas species bonitatis, unam ex objecto, alteram ex fine, sic. Unus, & idem actus proprius unius virtutis potest ab alia virtute imperari, & ordinari ad finem suum: sed tunc habebit duplicem bonitatem, unam ex objecto illius virtutis, a qua elicitur, & cuius est proprius: aliam ex fine illius virtutis, a qua imperatur; ergo &c. Min. videtur clara: Non enim actus aliquis pertinere potest ad aliquam virtutem, nisi participet de honestate, ac bonitate objecti formalis illius: quemadmodum in sententia Vasquez, non potest actus ad aliquid vitium pertinere, nisi malitia objecti illius inficiatur. Maj. vero probatur ex D. Th. 2. 2. quae. 32. art. 1. ad 2. ubi ait: Nihil prohibet, actum, qui est proprie unius virtutis elicitive, attrahi alteri virtuti sicut ordinari, & imperari ad suum finem. Et hoc modo habet elemosynam ponitur inter opera satisfactoria, in quantum miseratio in defectum patientis ordinatur ad satisfaciendum pro culpa; secundum autem quod ordinatur ad placandum Deum, habet rationem sacrificii: & sic imperatur a Levita. Ubi Cajetanus: Hoc modo (inquit) habet elemosynam, quae simul est actus charitatis media misericordiae, & actus liberalitatis remotionis prohibens: ut patet, cum quis ex charitate, & ut satisfaciatur pro peccatis suis, & ad honorem Dei, absque cupiditate effusit, elemosynam pauper Christi dat.

Tum eadem 2. quae. 124. art. 2. ad 2. ubi loquens de martyrio: Ad actum (inquit) martyrii inclinetur naturalis charitas sicut primum, & principale movens per modum virtutis imperantem: fortitudo autem sicut movens proprium per modum virtutis elicitive. Et inde est, quod martyrium est actus charitatis, ut imperantis, fortitudinis autem, ut elicitive: inde etiam est, quod utramque virtutem manifestat. Quibus contra Vasquez duo dicit. Unum; quod actus martyrii imperative quidem est a charitate, sed elicitive a virtute fortitudinis, quod autem negat Vasquez, volens martyrium esse etiam elicitive a charitate: alterum, quod utraque virtutum manifestat, nempe, bonitatem utriusque virtutis, charitatis, & fortitudinis.

IV. Secundo probatur ex eodem S. Doctore hac 1. 2. quae. 18. art. 7. ad 1. dicens: Actus, qui secundum substantiam suam est in una specie naturae, secundum conditionem morales supervenientes ad duas species referri potest, ut supra dictum est (quae. 1. art. 3. ad 3.) Ubi non distinguit de actu malo, vel bono, sed quocumque actu morali id assignat. Imo, ut docet, unum actum virtutis participare posse speciem, & bonitatem alterius virtutis, exemplum subijcit de actu peccaminosa 2. 2. quae. 85. art. 3. dicens: Quando actus unius virtutis ordinatur ad finem alterius virtutis, participat quodammodo speciem ejus, sicut cum quis furatur, ut fornicetur, ipsum fornicem accipit quodammodo fornicationis deformationem: ita quod, si etiam actus non esset peccatum, ex hoc jam peccatum esset, quod ad fornicationem ordinatur. Atqui furtum ex hoc, quod fornicationem ordinatur: servat adhuc speciem, & malitiam furii; ergo & actus unius virtutis, puta, elemosynae, & fortitudinis, quamvis ordinatur ad finem, puta, charitatis, servat adhuc bonitatem, & speciem virtutum, quarum sunt proprii actus.

V. Hoc idem docet 1. 3. Contra Gost. c. 138. his verbis: Contingit autem, unum actum alterius virtutis esse, nam actus unius virtutis ad finem alterius virtutis ordinatur: ut cum quis furatur, ut fornicetur, actus quidem secundum speciem suam est avaritiae, secundum intentionem vero luxuriae. Eodem autem modo & in virtutibus contingit, quod actus unius virtutis ad alium virtutem ordinatur: sicut cum quis dat suam, ut cum altero amicitiam habeat charitatis; actus quidem ex sua specie est liberalitatis, ex fine autem charitatis. Quamvis autem tibi doceat, potestorem esse laudem, & bonitatem, quam actus habet ex fine, maxime si altior sit, quam eam, quam habet ex objecto; unde infert, potestorem esse continentiam ex voto, quia ordinatur ad Religionem, quae potior est castitate: non negat tamen, retinere bonitatem propriam continentiae. Hinc

VI. Probatur ratione sic. Actus habens bonitatem ex objecto non admittit illam ex ordinatione ad finem ultiores virtutis, ergo eam retinet. Ant. probatur. Bonitas propria actus

actus ex objecto non potest destrui, & amitti, nisi vel per se ipsum oppositum, vel ex defectu conditionis requiritae ad eam bonitatem moralem; quia cum bonitas in perfectione, & integritate consistat, non potest destrui, nisi per contrarium, quod est malitia, vel defectum alius conditionis requiritae ad bonitatem moralem: sed dum actus ex objecto bonus ordinatur ad ulteriorem finem bonum: non amittit bonitatem, quam ex objecto habet, per se ipsum oppositum; quia talis ordinatio non affert actui malitiam, sed potius augmentum bonitatis: neque per defectum alius conditionis requiritae ad eam retinendam; ergo &c.

VII. Minor per prima parte videtur certa. Quia bonum inferius per hoc, quod ad bonum, superius referatur, non desinit esse bonum, imo ex hoc magis perficitur: nec bonum superius contrarium est bono inferiori cum bonum non contrarietur bono, sicut nec verum vero: imo potius virtutes sunt inter se ita connexae, ut una aliam vult, perficit, & roborat. Nec finis destruit media, sicut nec efficiens effectum suum, sicut nec Caelum destruit corpora sibi subiecta. Ergo neque virtus imperans destruit virtutem, cui imperat, neque bonitatem ejus; qui potius charitas, quae omnibus imperat, omnes fovet, ac perficit.

VIII. Pro secunda autem parte, quod bonitas non destruitur ex defectu alius conditionis requiritae: quia nimirum hoc ipso, quod ordinatur ad ulteriorem finem, non est voluta amore sui, sed amore alterius, quod est contra rationem virtutis; cuius honestas propter seipsum diligi debet. Quae videtur esse ratio Vasquez probatur. Honestas virtutis non solum invenitur in fine, qui causa, & gratia sui est amabilis, & bonus: sed etiam in his, quae sunt ad finem. Nam virtutes morales de se ex se, & objecto suo tantum vere virtutes habent bonum honestum pro objecto; & ex eo bonitatem habentes, ut temperantia, fortitudo, justitia: sed virtutes morales non versantur circa finem, sed circa media; quia sunt habitus electivi, & electio non est finis, sed media: unde & a prudentia diriguntur, quae virtutibus non praestitum finem, sed media; ergo per hoc, quod objectum virtutis sit ordinabile, & ordinatur ad objectum alterius, ut ad finem, non amittit rationem bonitatis.

IX. Quod si forte dixeris, hoc quidem esse verum de medio in ordine ad finem proprium, & intrinsecum; non vero in ordine ad finem extrinsecum, & a quo talis virtus per se non dependet: unde si jejunium ordinatur ad finem Religionis, a quo per se non dependet tunc bonitas illa extrinseca non requirit bonitatem propriam, sed eam veluti absorbet.

X. Contra est. Ideo finis extrinsecus tolleret ab actu virtutis, quae ad illum ordinatur, & ejus objecto, speciem, & bonitatem propriam illius virtutis, quia tunc objectum illud, puta, abstinentia, dum ordinatur ad finem Religionis, non diligitur amore sui, & propter propriam honestatem; sed propter honestatem objecti illius virtutis: puta Religionis, ad quod ordinatur, quod sola reddat actum valem, puta abstinentiam; virtuosum: sed hae ratio non valet: alioquin sequeretur, quod etiam quando actus virtutis non ordinatur ad finem extrinsecum, sed proprium; cum per se non diligitur illa honestas objecti proximi ratione sui, sed amore, & gratia alterius, puta, boni honesti, & conformis rationi; non haberet propriam bonitatem, sed tota species bonitatis esset ex fine: quod esset tollere honestatem, & bonitatem propriam, & speciem ab omnibus virtutibus moralibus, & facere omnes unius bonitatis, ac speciei a bonitate, vel naturalis beatitudinis, sive boni rationis, ad quem, ut ad finem proprium ordinatur: & virtutes morales infusae, quae habent per se finem proximo, & intrinsecum Deum supernaturalem objectum per charitatem, non haberent speciem a propriis objectis, sed unice speciem charitatis: & sic frustra virtutes morales dilingerentur inter se specifice, si unice haberent speciem ex fine.

XI. Probatur etiam hac ratione. Praemium gloriae correspondet non solum charitati imperanti, sed etiam actibus virtutis ab ea imperatis; ergo actus etiam imperati retinent suam bonitatem propriam ultra bonitatem virtutis imperantis. Ant. probatur. Quando quis operatur ad finem jejunii, vel elemosynae propter Christum, & ex charitate mereatur aliquod praemium, eique conferatur in alia vita, non solum ratione charitatis, sed etiam ratione jejunii, & elemosynae: dicitur enim Matth. 25. v. 34. & 45. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum. Esurivi enim, & desistis mihi manducare &c. Quibus ostendit Christus, propter opera misericordiae reddi Regnum Caelorum. Et alibi etiam ob servatam virginitatem, & cultum diem sabbatum, praemium promittitur; ut Isaie 56. Ne autem quis dicat, praemium fidei charitatis correspondere, sicut & meritum. Adde, quod est charitas sit forma omnibus virtutibus dans valorem ad praemium aeternae vitae negari tamen non potest, quia a diversis virtutibus sub charitate ordinatis habeantur diversa merita; & quod flante aequali charitate, plus mereatur, qui in praestantiori virtute magis se exercet. Unde magis consuli potest, ut aliquid exerceat se in virtute praestantiori, quam in inferiori: quod non esset, si omnes essent aequalis meritum flante aequali charitate.

§. II.

Solutio objectionum.

XII. Obijci primo Vasquez Aristotelem 2. Ethic. c. 4. afferentem? Quod, ut actus iustitia sit bonus, non sufficit, quod sit circa rem justam, sed requiritur, quod faciat bonum, secundum eam affectionem, tertio propter ipsum. Et lib. 5. cap. 12. ubi ait: Quod actus virtutis primum debet fieri non propter virtutem, sed ad finem, tertio ubi hoc, id est, propter ipsum virtutis bonitatem. Sed qui vult actum iustitiae ob alium finem etiam honestum, non vult iustum propter seipsum, nec propter iustitiae honestatem; ergo facit actum non ex se bonum, sed solum bonitate finis.

Actus, quod sit circa rem justam, sed requiritur, quod faciat bonum, secundum eam affectionem, tertio propter ipsum. Et lib. 5. cap. 12. ubi ait: Quod actus virtutis primum debet fieri non propter virtutem, sed ad finem, tertio ubi hoc, id est, propter ipsum virtutis bonitatem. Sed qui vult actum iustitiae ob alium finem etiam honestum, non vult iustum propter seipsum, nec propter iustitiae honestatem; ergo facit actum non ex se bonum, sed solum bonitate finis.

XIII. Respondeo, exponendo dicta Arist. Ita ut ly propter se idem sit, ac non per accidens, conc. Ita ut idem sit, ac non propter aliud, nego, hanc esse mentem Arist. Responso est D. Th. 1. dist. 1. quae. 2. art. 1. ad 3. ubi ait: Dicitur quod propter se dicitur dupliciter. Uno modo secundum quod opponitur ad propter aliud: & hoc modo virtutes, & honestum non propter se diliguntur, cum etiam ad aliud referantur. Alio modo dicitur propter se secundum quod opponitur ad per accidens, & sic dicitur propter se diligi, quod habet in natura suam aliquid movens ad diligendum. Et hoc modo virtutes propter se diliguntur: quia habent in se aliquid, modo quarantur, etiam si nihil aliud ab eis contingeret. Non tamen est inconveniens, ut aliquid ab eis contingeret. Non tamen est inconveniens, ut aliquid propter se amaretur, & tamen ad alterum ordinaretur, sicut dicitur in 1. Ethic. (c. 6.)

XIV. Sed dicit Vasquez. Commune axioma est Arist. quod qui furatur, ut maculetur, magis est malus, quam fur. Imo 5. Ethic. c. 1. plus dicit: Qui maculetur propter lucrum injuria est, non turpissimus. Ubi non solum comparative, sed absolute negat esse intemperatum.

XV. Respondeo, Aristotelem utrobique loqui comparative, non absolute: sed contrarie. In priori quidem loco, qui furatur, ut maculetur, magis est malus, quam fur, non ex parte operis quidem, sed operantis; quia eligendo furtum ob fornicationem, magis afficitur erga fornicationem. In secundo etiam loco, qui in animo ejus, qui adulteratur, ut lucratur ex dampno alterius, magis est injustitia, quam adulterium, esto ex parte operis utrumque sit. Dixi cum damno alterius. Nam ex hoc capite solum contingit, esse injuriam ex acceptis ob adulterium, seu fornicationem, ut innotet docet D. Th. 2. 2. quae. 62. art. 5. ad 2. Mulier potest sibi retinere, quod ei datum est (ob fornicationem) sed si superflua ad fraudem, vel dolus excoerisset, retinet eadem retinere. Adde, his probari, nec actum malum, si ordinatur ad alium finem primum, retinere malitiam suam: quod tamen negat Vasquez.

XVI. Obijci secundo S. Th. qui hac 2. 2. quae. 13. art. 1. ait: Actus, qui est essentialiter unius potentiae, vel habitus, respicit formam, & speciem a non superiori potentia, vel habitu, secundum quod ordinatur inferiori a superiori. Si enim aliquis alium fornicationis concupiscit propter Dei amorem, actus quidem ille materialiter est fornicationis: formaliter vero charitatis. Rufus quest. 18. art. 6. ad 2. Ordinari (inquit) ad tale finem, est accidere exteriori actui, non tamen accidere actui interiori voluntatis, qui comparatur ad exteriorem sicut formale ad materiale.

XVII. Respondeo, S. Th. cum ait, actum elicivum a fortitudine, vel alia inferiori virtute, dum imperatur a charitate, seu alia virtute superiori, materialiter se habere ad finem virtutis superioris, non velle, a boni virtutis inferioris ipsam bonitatem suam essentialiter, quam ex objecto habet, sed solum hanc materialiter se habere ad finem altioris virtutis: quod est veluti materia, qua virtus superior utitur ad suum finem. Similiter cum dicit, actum interiore comparari ad exteriorem, sicut formale ad materiale; non negat, objectum actus exterioris, seu imperati, esse formale in specificando actum illum; sed solum vult, hoc quod est formale in specificando, se habere ut materiale respectu finis, qui est formale in movendo, & a quo accidentalem speciem participat.

XVIII. Et dicit infero: quod inter duas bonitas actus, altera proveniente ad objecto, altera a fine operantis, illa quae est ab objecto, est essentialis, & constitutiva; quae vero est a fine operantis est circumstantia: sed tamen inter circumstantias primaria, & in ratione moventis principallior, quam bonitas specifica actus, quae illi subordinatur, ut fini. Unde D. Th. 1. 2. quae. 7. art. 3. ad 3. Non enim (inquit) finis, qui dat speciem actus, est circumstantia, sed aliquid finis adjunctivum, sicut quod fortis fortis agat propter bonum formalitatis; non est circumstantia: sed si fortis agat propter liberationem Civitatis, vel propter Christum, vel aliquid hujusmodi.

DUBIUM IV.

An dari possit actus humanus in individuo, qui nec bonus sit, nec malus moraliter, sed indifferentis?

§. I.

Dari posse actum humanum ex specie sua indifferentem.

I. R. Ecolenda est differentia saepe tradita inter actum humanum, & actum hominis; nempe, quod actus humanus, ille est, qui ab homine procedit operante ut homine, prout distincto a brutis, nempe, cum consilio, & liberatione, seu advertentia: actus vero hominis est, qui ab homine qualem procedit: sed non operante, sicut homo est in operando a brutis distinctus; quales sunt omnes actus indeliberati, & sine advertentia facti: ut cum quis non advertens fricat manus, vel barbam, vel aliud simile ex imaginationis, vel sensus motione, non advertens facit. Certum igitur puto apud omnes esse, quod actus hominis, & deliberati sint in esse

esse morali indifferentes, seu verius, nullo modo morales: unde quilibet ad actus humanos perfecte liberos, ac deliberatos reducit.

II. Advertendum etiam est, quod actus humani, & deliberati adhuc sumi possunt dupliciter. Vel secundum speciem tantum; quando nempe considerantur per habitudinem ad solum objectum suum, a quo specie essentiali accipiunt: vel ut in individuo, & hic, & nunc ponuntur in esse: tunc enim in eis considerantur non solum ratio objecti, sed etiam finis, & circumstantiarum: quia actus deliberate poni nequit in individuo, quin fit propter aliquem finem, ut supra diximus, & aliquibus circumstantiis velletur. Queremus ergo: an dari queant actus humani ex specie sua indifferentes: deinde, & multo magis, an possint quoque esse tales, ut in individuo possint.

III. Tres in hoc sunt sententiae. Prima, quae Seco tribuitur, negat dari actum humanum ex specie sua moraliter indifferentem: affirmat vero, plures actus in individuo indifferentes esse. Secunda est D. Th. hac quae. 18. art. 8. & 9. assertio, dari quidem actus indifferentes ex sua specie, nullum tamen posse esse indifferentem in individuo. Tertia Vasquez, & aliorum admittentium, plures actus humanos ex sua specie, & in individuo indifferentes.

IV. Dico primo. Dantur actus humani ex objecto & specie sua in esse morali indifferentes, id est, nec determinate boni, nec determinate mali moraliter. Dixi in esse morali indifferentes. Quia Auctores oppositi negant, indifferentiam, quam habet actus ex objecto, esse indifferentiam de genere moris; sed volunt, esse pure entitativam, ac physicam, susceptivam quidem moralitatis, non tamen formaliter de genere moris.

V. Dari ergo actum humanum ex specie, & objecto indifferentem indifferentiam morali, ostendo. Primo ex D. Thom. hic quae. 18. art. 9. ubi ponens differentiam inter actum a deliberata ratione non procedentem, & actum a deliberata procedentem, dicit de primo: *Talis actus non est proprie loquendo moralis, vel humanus, cum hoc habeat actus a ratione: & sic erit indifferentis quasi extra genus moralium actuum existens; ergo a contrario sensu vult, quod actus, cum a deliberata ratione procedit, sit indifferentis, non extra genus moralium existens, sed in genere morali.* Quod clare docuerat 1. 2. quae. 90. art. 2. ubi docens, tres esse actus legis, praecipere, prohibere, & permittere, & legem esse de actibus humanis, ait: *Sunt autem tres differentiae humanorum actuum: Quidem actus sunt boni ex genere, qui sunt actus virtutum; & respectu horum ponitur legis actus praecipere... Quidem vero sunt actus mali ex genere, sicut actus vitiosi; & respectu horum lex habet prohibere. Quidem vero ex genere suo sunt actus indifferentes, & respectu horum lex habet permittere.* Si ergo inter differentias actuum humanorum, & moralium indifferentiam ponit S. D. ergo indifferentia sub genere actus moralis continetur. Similiter si circa indifferentiam datur lex, quod est regula moralis; ergo indifferentia ad bonum, & malum ad ordinem morale pertinet.

VI. Fateor tamen, quod indifferentia, etsi ad ordinem morale pertinet, ad illum tamen pertinet non tamquam species completa; sed potius tamquam inchoatio dans actui proximam capaciatem, ut determinetur ultimo genere moralis penes bonum, vel malum, unde accipitur ultima regulatio actus in genere morali: & propterea est species quaedam potius negativa, quia ex sua specie non habet ultimam differentiam moralitatis. Ita ex D. Th. hac quae. 18. art. 9. ad 1. ubi: *Dicendum (inquit) quod, aliquem actum esse indifferentem secundum suam speciem, potest esse multipliciter. Uno modo fit, quod ex sua specie debentur ei, quod sit indifferentis... Sed tamen ipso modo nullus actus ex sua specie est indifferentis. Non enim est aliquid objectum humani actus, quod non possit ordinari vel ad malum, vel ad bonum suum, vel circumstantiam. Alio modo potest dici indifferentis ex sua specie, quod sit bonus, vel malus. Unde per aliquod aliud potest fieri bonus, vel malus: sicut homo non habet ex sua specie, quod sit albus, vel niger; nec tamen habet ex sua specie, quod non sit albus, aut niger: potest enim albedo, vel nigredo supervenire homini aliunde, quam a principibus speciei.* Quibus etiam patet, in quo sensu dicamus, dari actum humanum ex sua specie indifferentem. His explicatis.

VII. Probatur assertio. Actus humanus speciem essentiali fimit ab objecto; unde sicut actus dicuntur ex sua specie boni, qui tendunt in objectum de se bonum, & ex sua specie mali, qui tendunt in objectum de se malum: ita illi indifferentes ex sua specie appellantur, qui habent objectum de se ad bonum, & malum indifferentens, seu, secundum se, neque consonum, neque dissonum regulis rationis: sed tales sunt plures actus voluntatis; nam ambulare, levare festucam, ire in Campum, ex objecto non bonitatem habent, nec malitiam, sed ad utrumque indifferentes sunt: unde ex bono fine honestari, & malo vitari possunt. De quibus S. August. l. 2. de Sermone Domini in Monte c. 18. *Sunt ergo (inquit) quaedam facta media, quae ignoramus, quo animo fiunt, quia & bene, & malo fieri possunt, de quibus comensarium est iudicare, maxime, ut condemnemus.*

VIII. Secundo prob. Commune proloquium est, quod aliqui actus sunt boni, quia praecipit, ut abstinere a carnibus die venis; & alii mali, quia prohibet, ut eadem die carnes manducare; ergo signum est, quod isti actus ex sua specie indifferentes sunt; & quod ex adiunctis circumstantiis determinari possint ad bonum, vel ad malum. Si enim ex sua specie essent determinate boni, vel mali; diceretur a contrario praecipit quia boni, vel prohibet, quia mali.

IX. Sed primo obstat. Inter opposita privative non datur medium: sed bonum, & malum sunt opposita privative; ergo non datur actus medians, nempe, indifferentens ad bonum, & malum secundum speciem suam.

Confirmatur. Inter verum, & falsum respectu propositionis non datur medium: omnis enim propositio, aut est determinate vera, aut falsa determinate; ergo neque inter bonum, & malum dabitur respectu voluntatis actus medius.

X. Respondet cum S. Thoma hac q. 18. a. 8. ad 1. majorem esse veram de privatione, quae consistit in privatione esse; quae nihil relinquit, sed totum auferit: ut cecitas totaliter auferat visum, & tenetur lucem, & vultus vitam. Et inter hanc privationem, & habitum oppositum non potest esse aliquod medium circa proprium susceptibile. Secus vero de privatione, quae consistit in privatione: sicut agrotus est privatus sanitatis, non quod tota sanitas sit sublata; sed quod est quasi quidam via ad totalem ablationem sanitatis, quae fit per morbum. Et ideo talis privatio, cum aliquod relinquit, non semper est immediata cum opposito habito. Malum autem morale est privatio boni hoc secundo modo: non enim totaliter auferit bonum; sicut nec agrotus totaliter auferit vitam. Quia tamen id, quod de bono relinquit, non sufficit ad integritatem boni: ideo id, quod relinquitur, non est bonum morale simpliciter: & actus, qui circa illud versatur, dici potest medius, nec bonus, nec malus ex objecto, sed moraliter capax utriusque; v. g. ambulare ad occidentum hominem est malum; quod tollit bonum, quod est in ambulatione ad Ecclesiam: quia tamen relinquit aliquid, nempe ambulare humano modo, quod ex objecto nec bonum simpliciter est, nec malum, sed medium, quia capax utriusque; ideo ambulatione humana ex sua specie dicitur actus indifferentis, & medius.

Quare dici etiam potest, quod bonum, & malum, quia privative opposita, non habent medium positivum, & in subiecto individuo, ac in re: habent tamen medium praesivum, & in subiecto considerato secundum speciem. Sicut cecitas, & visus positive, & in subiecto individuo non habent medium; homo enim in particulari, vel est caecus, vel videns: habent tamen medium praesivum in homine secundum speciem considerato: sic enim homo, nec est videns, neque caecus: eo modo, quo numerus ex sua specie neque est par, neque impar; quamvis in individuo non possit dari numerus, qui non sit vel par, vel impar. Ex quo sequitur quidem, non posse dari actum humanum in individuo, qui non sit vel bonus, vel malus, ut in sequentibus ostendimus: non tamen non posse dari actum humanum, qui ex specie, & objecto suo praesivus ad bonitatem, vel malitiam determinate.

XI. Sed inquires. Non dantur habitus ex specie sua indifferentes: immo omnes, vel virtuosus, vel vitiosus sunt; ergo nec actus, cum habitus ex actibus generentur.

XII. Respondet, neg. confes. Ad eius probat. dicit. Ex actibus in re, & in singulari positus, conc. Ex actibus secundum speciem suam consideratis, nego. Cum ergo habitus ex actibus frequentatis in singulari, & in re positus generentur: nec actus ut in re positus, ac in singulari possint esse indifferentes, sed determinate vel boni, vel mali, ut statim dicemus: ideo non possunt producere habitum, nisi juxta conditionem suam, & proinde vel virtuosum determinate, vel vitiosum.

XIII. Ad confirmat. dico, quod licet inter verum, & falsum propositionis in re, & absolute non detur medium; si tamen sit aliqua praecisio, aut reduplicatio potest dari medium. Propositiones enim de futuro contingenti, prout considerata ante decretum, dicuntur habitudinem ad rem enunciatam; nec sunt verae, neque falsae determinate, sed indifferentes ad veritatem, vel falsitatem: quia pro illo priori earum objectum nec est futurum, nec non futurum, sed possibile, & mere indifferentens ad futuritionem, vel non futuritionem; ut in Tract. de Scientia Dei expendimus. Et eadem ratione si actus quidam considerentur ex parte objecti indifferentis ad bonum, & malum, dicuntur ex specie sua indifferentes.

XIV. Sed dices. Non potest dari objectum voluntatis indifferentens ad bonum, & malum, cum objectum voluntatis sit bonum. Vel ergo erit bonum honestum, & hoc ipso erit bonum morale, vel delectabile, & non honestum; & hoc ipso erit malum: Vel utile, & fit, aut siltur in illo, ut in fine, & erit perversum, & malum, quia perversum est frui utendis: aut refertur in aliquid finem: si ille finis est bonus, ab eo accipit bonitatem, & fit vero malum, malitiam.

XV. Respondet cum D. Thoma hic a. 8. ad 2. quod objectum voluntatis, ex quo tale habeat aliquam bonitatem, vel malitiam saltem naturalem; non tamen semper importat bonitatem, vel malitiam moralem, quae consideratur per comparationem ad rationem. Et ideo cum quiritur: an sit honestum, vel utile, vel delectabile: dicimus, quod ea praecisa ratione, quae est objectum voluntatis, ab omnibus istis praescindit, sicut praescindit a convenientia, vel inconvenientia rationis: & propterea etiam a bono, & malo morali.

XVI. Secundo obstat. Omnis species semper reperitur in aliquo individuo; sed non potest dari actus indifferentes in individuo, ut statim dicemus; ergo nec secundum suam speciem. Respondet, neg. confes. Committitur enim fallacia accidentis. Non enim quilibet habet actus in individuo, convenit illi ex principibus suis species: sicut homo in individuo esse non potest, quin sit albus, vel niger; & tamen hoc non habet ex principibus suis species, sed praescindit. Ita non quilibet habet actus, pertinet ad speciem ejus.

Non posse dari Actum Humanum in individuo, qui sit Indifferentis.

XVII. Dico secundo. Non datur, nec dari potest actus humanus, & moralis in individuo, qui inspeclis omnibus circumstantiis, quas actus habet, non sit determinate vel bonus, vel malus, sed indifferentens ad bonum, vel malum. Est communis assertio praesertim in Schola S. Thomae. Colligitur primo ex Christi verbis Luc. 11. v. 23. *Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, dispergit.* Qui bus inter esse cum ipso per bona opera, vel contra ipsum per opera mala: inter colligere cum ipso, & dispergere, nullum admittit medium Christus; ergo sentit, inter opera bona, & mala non dari media, sed indifferentia. Alioquin si triplex esset actionum genus, ut aliae forent bonae, aliae male, & aliae indifferentes, consequentia Christi non esset bona: nam ex hoc, quod aliquis non esset cum eo per bona opera, non sequeretur statim, quod esset contra ipsum per opera mala: sed posset modo suo habere, & nec esse cum ipso, nec contra ipsum, faciendo opus, quod nec esset bonum moraliter, nec malum, sed indifferentens.

XVIII. Hoc confirmant Patres. S. August. lib. 2. de Pecc. merit. c. 18. *Quamquam (inquit) voluntas mirum, si possit in medio quidam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, & bona est: aut si magis diligimus, magis bona, si minus, minus bona est: aut si omnino non diligimus, non bona est... Si ergo voluntas aut bona est, aut mala est. Et Ep. 19. nunc 82. ad Hieronymum cap. 2. agens de ceteroquin Legalibus, ait: *Sed cavendum est, videlicet in hac dispensatione, ne, sicut Philosophi, quaedam facta hominum media dicamus inter recte factum, & peccatum, quae neque in recte factis, neque in peccatis numerentur: & urgeatur eo, quod observare legis carcerem non potest esse indifferentis, sed aut bonum, aut malum: ut si bonum dixerimus, eas non quaeque observare cogamur: si autem malum, non vere, sed simulate ab Apostolicis observatas esse credamus.* Quod repetit l. de Heret. credendi c. 12. *Quae adeo clara sunt; ut moverent Vasquez ad dicendum, hanc verba fuisse Augustini, & ejus Discipulorum, Prosperi, Fulgentii, & D. Thomae sententiam.**

XIX. Probatur ergo ratione D. Thomae hic q. 18. art. 9. Necessite est, omnem actum humanum a deliberata ratione hic esse bonum, & in individuo procedentem, ordinari ad aliquem finem, saltem ex parte intentionis; & includere aliquem circumstantiam. Vel ergo finis, ad quem ordinatur, est finis debitus, & recte rationi consonus, & exercitus in circumstantiis, in quibus secundum rationem rectam exercendus est, vel non: si primum; erit actus moraliter bonus: si secundum; erit moraliter malus; ergo actus humanus in individuo non potest esse indifferentis. Major docet D. Thom. his verbis: *Actus moralis non solum habet bonitatem ex objecto, a quo habet speciem, sed etiam ex circumstantiis, quae sunt quasi quaedam accidentia: sicut aliquid convenit individuo hominis secundum accidentia individualia, quod non convenit homini secundum rationem speciei. Inde inferens, omnem actum humanum individuale habere necessario aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis; rationem datur: *Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberatione procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem male: si vero ordinatur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis: & sic habet rationem boni. Necessite est autem, quod vel ordinatur, vel non ordinatur ad debitum finem. Unde necessite est, omnem actum humanum a deliberata ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse, vel malum.**

XX. Quia vero Auctores contrarii negant, hominem teneri actui indifferenti ex objecto semper apponere finem rectum, & honestum; sed dicit, posse illum exercere eo solum delectationem, vel naturae commoditatem: quae in casu illi actus, etsi advertenter, & libere fiat, & absque formali, aut virtuali intentione aliquid finis honesti, non est malus; sed manet indifferentis, seu non bonus, non contrarius, aut privative, sed tantum negative, nempe, carens fine bono, quem tamen illi non tenetur apponere; quod est totum oppositae sententiae fundamentum.

XXI. Quapropter probandum est, hominem, quotiescumque ex advertentia, & deliberate volens operatur, ex praecipio teneri operari secundum regulas rectae rationis, & ob finem honestum; quod si non faciat, peccat, & moraliter male agit. Quod ostendo primo sic. Quoties homo operatur cum consilio, & deliberatione rationis, tenetur operari, ut homo a brutis distinctus: ergo tenetur operari in ordine ad bonum rationis, & finem honestum, quod est finis naturae rationalis, ut ex ratione operantis.

XXII. Confirmatur. Licet homo non tenetur semper omnes suas actiones referre in bonum finem, & honestum; cum enim hoc sit praecipium affirmativum, non obligat pro omni tempore: si tamen velit agere ut homo, & operari cum deliberatione rationis, debet attendere, & agere secundum rationis regulas. Quae admodum licet artifex non semper tenetur advertere, & agere secundum regulas artis; si tamen velit agere ut artifex, & facere statuum, tenetur attendere ad regulas artis, & secundum illas statuum facere; quod si non faciat, peccat in genere artis, sed dicitur rationis, & prudentiae regula est, ut quoties homo cum deliberatione; & ut homo operatur, dirigat operationem suam actu, vel virtute ad bonum naturae rationalis, seu rationi consonum, alius

operando, quam bruta, & ordinando animales operationes ad rationales fines; ergo &c.

XXIII. Quapropter sicut dedecet Regem, vel Principem ad villa rullorum opera se dedecere, ac in eorum lines suas operationes dirigere, eas ad finem alioferm non ordinando: ita, & multo magis dedecet Regem hominis majestatem, dum agit ut homo; ad operationes jumentorum se demittere, in eorum finibus siltire, nempe, in bono delectabili, & sensibili; non referendo illud vel actu, vel virtute ad finem rationis, bonum scilicet honestum: eique aptari poterit illud Plal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quia in solo delectabili siltens, ut in fine, agit amore brutorum: & quod in brutis est natura, in ipso est vitium. Unde quod Adversarii dicunt, hominem, qui exercet actum ex objecto indifferentem propter solum delectationem, vel commoditatem naturae, tamquam propter finem, non ordinando illum saltem virtualiter ad finem rationis, facere actum indifferentem; falsum dicunt. Nam SS. Patres docent, actum conjugalem factum eo solum delectationem esse malum; & peccatum saltem veniale. Et S. Thomas 2. 2. q. 168. art. 1. ad 2. dicit, quod *inordinate ludo sumitur... qui finem in delectatione solum constituit: sed (ut ait, ibi ad 3.) delectatio, quae in ludo habetur, ut ordinata sit, debet ad aliquam animi quietem, & recreationem ordinari, sicut somnus: ut deinde animus recreatus melius possit studio rationis vacare.* Ne autem quis putet, ad hoc requiri aliquam expressam, & formalem ordinationem; hoc dubium tollit S. Thomas hoc art. 9. ad 3. dicens: *Hoc ipsum, quod aliquis agrotus ad sustentationem, vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur, in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis.*

XXIV. Secundo alia ratione S. Thomae hoc art. 9. in argumento *Sed contra.* Omnis actio otiosa est mala moraliter: sed omnis actio, quae non refertur ad finem honestum, est otiosa; ergo est mala moraliter, non vero indifferentis. Major probatur. Omne verbum otiosum est malum, & puniendum in die Judicii, teste Christo Math. 12. v. 36. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Unde Gregorius homil. 6. in Evang. Matcam (inquit) vos admonet, ut ab otioso sermone parcamus, instanter loqui declinemus... Otiosum quippe verbum est, quod aut utilitate relictum, aut ratione iusta necessitatis caret. Et lib. 7. Moral. cap. 29. modo 18. ait: *Otiosum quippe verbum est, quod aut ratione iusta necessitatis, aut intentione pia utilitatis caret. Ergo a fortiori opus otiosum, quod aut utilitate relictum, aut intentione pia utilitatis caret, est malum, & in die Judicii puniendum.* Tum quia in opere otioso non minus vane occupatur potentia, & consumitur tempus, quam in verbo otioso. Tum quia ipsa locutio est quaedam actio. Tum quia cum opus quid majus, & pretiosius sit, quam locutio; ceteris paribus, pejus est opus otiosum, quam otiosum verbum. Quare Hieronymus (vel alius sub ejus nomine) in Plalm. 16. *Quod si, (inquit) de verbo otioso redditur ratio, quanto magis de operibus hominum?*

XXV. Minor vero, quod nempe actio, quae ad finem honestum non ordinatur, sit otiosa, facile suadet. Nam sicut verbum non dicitur otiosum, quod ex malo fine profertur, vel ex mala circumstantia; sed quod caret aut utilitate relictum, aut intentione pia utilitatis, ut ait Gregorius: ita & actio otiosa dicitur, quia aut erret debita utilitate, aut finis debiti intentione. Et hoc nomen ipsum Otiosum ostendit: significat enim id, quod ad finem suum praecipuum non intervrit. Sic calamus, aut culter, qui non potest servire ad scribendum, aut incidendum, otiosus dicitur. Sic pars domi, quae ad finem habitatoris non deservit, otiosa dicitur; Et Operarii Math. 20. v. 3. dicuntur otiosi; non quia nihil omnino agerent (forte enim consilabantur, vel ambulabant, vel vineam excolendo, & in ea laborando), sed quia finem suum non exercebant, vineam excolendo, & opus, quod exercebant, non fine aliquid iustum, pium, & honestum; & sic nam verbum, quam opus est moraliter bonum: vel non habet; & sic est otiosum, & moraliter malum. Et quia inter hac habere, vel non habere, upote contradictoria, non datur medium in re; ideo in re, & in individuo non datur actus humanus medius, seu indifferentis.

XXVI. Hoc argumentum valde torquet Adversarios; eoquod ad illud declinandum in variis responsionibus distinxit. Primo ergo ex Veteribus quidam negantur, verbum otiosum esse moraliter mala: iudicium autem illud, in quo Christof dicit de iis reddendam fore rationem, dicebant futurum iudicium discretionis, non condemnationis.

XXVII. Sed hac responsio temeritatis expertus non est. Primo. Quia repugnat SS. Patribus supra relatis, qui verbum otiosum statuunt tamquam puniendum in Judicio. Praeterea quod repugnat intento Christi, qui ex eo, quod homines reddidit finem rationem de verbo otioso, argumento a minori ad majus inferit, graviter redditorum rationem, & puniendos in die judicii: quod argumentum nullam haberet vim si verbum otiosum in iudicio non esset puniendum, sed solum discutendum. Omnia ergo opera ad illud iudicium discutienda deferentur, sive ut reportent praemium, sive poenam, dicente Paulo a. Cor. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Si ergo verba otiosa deferenda sunt ad tribunal Christi, vel erant bona, vel mala: sed non bona; ergo mala.

XXVIII. Respondent propterea alii, opera indifferentia non esse